Q. F. F. Q.

DISSERTATIO GRADUALIS
DE
URBE UMA,
ET
ADJACENTIBUS PAROECIIS,

QUAM

Permiſſu Ampliſſ. Senatus Philoſoph. in Illuſtri Academia Upſalienſi,

ET

PRAESIDE

VIRO *AMPLISSIMO atque CELEBERRIMO,*

MAG. FABIANO TÖRNER,

Eloq. PROF. Reg. & Ord. nec nón Fac. Phil. Sen.

Publico Bonorum Examini modeſte ſubmittit

ALUMNUS REGIUS

JONAS EL. ASK,

WESTRO-BOTNIENSIS.

In Audit. Guſt. Min. ad d. 3. Jun. AN. MDCCXXXI.

Horis ante meridiem ſolitis.

UPSALIAE, Literis WERNERIANIS.

Digitized by Google

S:AE R:AE M:TIS
MAGNAE FIDEI VIRO,
Weſtro-Botniae PRAESIDI
AC
GVBERNATORI Exoptatiſſimo,
Perilluſtri Generoſisſimoque
BARONI AC DOMINO,

DN. JACOBO GRVNDEL,

MAECENATI MAGNO.

Q*Vod*, MAECENATES OPTIMI, *incomtior*
ſca, ſibi praeferre Nomina, *id quaeſo, non*
propenſior in omnes Muſarum cultores eſt,
bris ſuis in Veſtram *lucem prodeundi, invi-*
illa Regio, de cujus parte pauca ſcripſi, id jam pietatis
NATES OPTIMI, *in illam merita praedicarem &*
tur, interpretem agerem. Verum cum debitis verbis
mus rogo, ut leve hocce opuſculum, tanquam meae &
vultu. Faxit Summum Numen, ut Weſtro-Botniae ſub
rere contingat. Quod ipſum dum voveo, quidquid fe-
ſtrisque Nobilisſimis Familiis *apprecor & appreca-*

Perilluſtriſſimorum
NOMINVM

cultor
JONAS

S:AE R:AE M:TIS
MAGNAE FIDEI VIRO,
Norlandiarum Occidentalium SVPERINTENDENTI Celeberrimo, Ven. Conſiſtorii PRAESIDI Graviſſimo, Reg. Gymnaſii Scholarumque EPHORO Adcuratiſſimo,

Reverendiſſimo PATRI ac DOMINO,

Dn. NICOLAO STERNEL,

MAECENATI OPTIMO.

mea Muſa ſuſtineat, Veſtra, *multa celebritate coru-* *meae temeritati*, *ſed* Veſtro *date favori: qui, quo* *eo fortius, etjam duriori fortuna preſſos, e tene-* *tat. Illorum in numero ego ſum, a quo Patria h. e.* *officium jure exigere videtur, ut* Veſtra, MAECE- *gratae mentis, qua largam hancce gratiam amplecti-* *huic officio ſatisfacere non valeam; id tantum humilli-* *patriae in* Vos *pietatis documentum, ſereno reſpiciatis* Veſtra *umbra non modo revireſcere, ſed etjam diu flo-* *licitatis unquam cogitari posſit, id omne* Vobis Ve- *bor.*

ac Reverendiſſim.
VESTRORVM

devotiſſimus
ASK.

VIRO

Maxime Reverendo atque Ampliſſimo

Dn. GEORGIO WALLIN,

S. S. Theologiae DOCTORI Celeberrimo, Regiae Academiae Vpſalienſis Bibliothecae PRAEFECTO Adcuratisſimo, Societatis Regiae Literariae & Scientiarum Svec. Membro meritisſimo,

PATRONO OPTIMO.

Tibi, Max. Rev. Domine Doctor, *quamvis nibil, niſi politum offerri debeat; ne indigne feras, quaeſo, quod eam, quam,* Te *Auctore, elegi differendi materiem, rudi Minerva elaboratam, jam* Tibi *reſtituam. Majori cum foenore reſtitutam utique optaſſem, praeſertim, cum gratus agnoſcam, per* Tuam *humanitatem me etjam ſubſidiis non parum adjutum fuiſſe. Sed* Tibi, *qui ipſe optime noris, nos multum quaerendo, pauca ſoepe inveniſſe, ſaltem bona placebit intentio. Vt itaque hanc opellam grati animi teſſeram, ob multa in me collata beneficia, ſolito favore accipias, rogo, & DEVM precor, ut* Te, Max. Rev. Dn. Doctor, *cum omnibus* Tuis, *aeternum incolumem conſervet.*

Max. Reverendi Nominis Tvi

cultor humillimus

J. A.

Digitized by Google

VIRO *Admodum Reverendo atque Praeclariſſimo,*

Mag. ZACHARIAE PLANTIN,

Vmenſium PASTORI atque PRAEPOSITO meritiſſimo.

VIRIS *Plur. Reverendis atque Praeclariſſimis*

Mag. JOHANNI TELIN,

PASTORI in Bygdea digniſſimo.

Mag. MATTHIAE DAHLING,

PASTORI in Loefanger laudatiſſimo.

VIRO *Spectatiſſimo & Conſultiſſimo,*

Dn. GABRIELI THAVONIO,

Civitatis Vmenſis CONSVLI aequisſimo.

VObis *quoque*, Praeclarisſimi Conſultisſimique VIRI, *praeſentem de illis locis, quorum Eccleſiis atque Curiae* Vos *cum laude praeeſtis, diſſertationem, ob propenſum in ſe ſuosque animum, cum omnigenae felicitatis voto, dicatam vult*

Nominum Veſtrorum

cultor obſervantiſſimus
J. A.

Clariſſimo Domino Philoſophiae
CANDIDATO
Dn. JONAE ASK/
Amico in paucis perdilecto,
De Vma eique adjacentibus Paroeciis,
propediem diſputaturo.

QVem juvat antiquae cognoſcere tempora gentis,
Atque ſitum terrae ſub rutilante Polo;
Ille tuam crebra, rogo , dextra volvat opellam:
Vma *coloribus hic pingitur ecce ! ſuis.*
Cum Phoebo hinc grates reddet Tibi *turba novena,*
Et natale dabit præmia larga ſolum.

Amicitiae ergo adplaudit
WILHELM. WARGENTIN.

Lectori Benevolo.

NEmo facile negaverit, multis fuiſſe vitium, quod ea, quae ad illorum ſpectarent aetatem, ut omnibus non modo nota, nullaq; temporum oblivione intermoritura; verum etjam ſic ne ſcriptione quidem digna eſſe duxerint. Sed quantam antiquitatibus noſtris hoc ipſum attulerit noxam, optime illi perſpiciunt, qui aliquid in hoc argumento moliuntur & ſoepe pauca illorum, quae ante ſeculi decurſum, ne dicam ultra, geſta fuerint, explorare valent. Nobis vero, neque penuriam monumentorum, e longinquo licet perſpectam, neque opinionem de recenti & non ſatis digno argumento, remoras objicere permiſit pietas, qua illorum auctoritas ſuſpicienda eſt, quorum conſilio hoc negotium ſuſcepimus. Ea itaque, quae nobis nunc monumentorum nomine venire poſſunt, cum iis, quae eodem titulo poſteritati forte venient, conquirere operam dedimus, quamvis, quod doleo, ſucceſſus voto minus reſponderit. Erunt itaque fortaſſis multi, qui hanc noſtram opellam nimis jejunam & ad guſtum hujus ſeculi minus accommodatam judicent: quod nosmetipſi in jejuno, debitisque ſubſidiis deſtituto argumento

mento faciles largimur; nihilominus illi omne jus ſeverioris cenſurae ſibi ademtum eſſe ſciant, ſi modo effati hujus Ciceroniani memores eſſe velint: Ego, quae monumenti ratio ſit, nomine ipſe admoneor, nempe, ad memoriam magis ſpectare poſteritatis, quam ad praeſentis temporis gratiam *). *Nobis quidem propoſitum fuit, ea, quae ad Hiſtoriam Naturalem ſpectant, obſervare; verum, cum patrios lares inviſere non licuerit, commode hoc non fieri potuit. Sicuti defectum hac in re ingenue fatemur: ſic Lectorem neque id offendere volumus, quod crebras hoſtium invaſiones, ſubinde inſertas inveniat. Excuſabit nos ipſe* TVLLIVS: Nihil, *inquit*, eſt aptius ad delectationem Lectoris, quam temporum varietates fortunaeque viciſſitudines: quae etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundae. Habet enim praeteriti doloris ſecura recordatio delectationem: ceteris vero, nulla perfunctis propria moleſtia, caſus autem alienos ſine ullo dolore intuentibus, etjam ipſa miſericordia eſt jucunda **). *Hiſce vale L. B. & innoxiis fave conatibus.*

*) In Epiſt. ad Caeſ. **) Epiſt. 12 lib. V. ad Fam.

I. N. J.

CAPUT I.

De

VRBE VMA.

§. I.

ESt *Uma* prima & praecipua, quæ in Weſtro-Botnia occurrit urbs, (in latitudinis gr. 63. 4′8. & Long. 42. ′3.) *a*) amoeno & plano admodum loco ſita. Ab ortu ad occaſum dimidio a templo paroeciae diſtans milliari, in longitudinem juxta fluvium *Vma* porrigitur. Laetis ab utraque extremitate clauditur campis,

a) Rev. Epiſc. BILBERGIVS *in Refract. Sol. Inoccid. cap. 6, pag. 87* & B. Prof. AND. SPOLE *in Narrat. ad Com.* DAHLBERGIVM.

quos agri atque prata non infoecunda occupant, niſi ubi loca magis arenoſa culturam prohibeant. Boream verſus, ſe in occaſum inclinando, paludes habet, foeni copiam civitati praebentes. A parte vero meridiana fluvius *Vma* leni aquarum tractu, multaque riparum gratia ſe commendat. Secundo ab urbe devectus amne, inſulam tibi objectam habes, quae, inſtar clauſtri, portum Vmenſibus non modo tutum, ſed etjam commodum praeſtat. Ancoris non opus habentes, navigia majoris etjam molis, crepidini urbis admovent & aedificiis continua ſerie cohaerentibus, fune alligant. Verum, cum tribus ferme milliaribus a mari diſtet Noſtra, aliis certe eget portubus, in quos cives, congelatis fluvii undis, domum redituri, aut domo proficiſcentes, adverſa tempeſtate impediti ſe recipiant. Ad hoc ipſum Vmenſibus inſerviunt duo ob meliorem ſitum commendabiles portus. Vnus *Obolshamnen* dictus, & duo circiter milliaria a civitate remotus, inque omni tempeſtate tutiſſimus: alter *Bredskiärſundet*, cui quamvis vaſtum pateat mare, non ſic tamen intutus, cum inſula fretum a continenti dirimens, ſecuritatem ipſi addat, adeo ut de ipſo dici conveniat:

Nec tamen hoc arctis immiſſum faucibus aequor
Portus erat, ſi non violentos inſula Coros
Exciperet Saxis, Lapſasque refunderet undas;
Vt tremulo ſtarent contentae fune Carinae b).

Sed

b) LVCANVS Lib. II. *Pharſaliae.*

Sed ad Noſtram regredientes, eam regulari prorſus modo dimenſam, quatuor in longitudinem plateis & duobus foris conſtare, atque in circuitu 3330. ulnas complecti, narratio Magiſtratus Vmenſis de urbe ſua Anno MDCXCVI. d. XXII. Febr. ad Illuſtriſſimum Comitem ERICVM DAHLBERGIVM data teſtatur. Ab altera, verſus occaſum extremitate torrens e paludibus ad boream ſcaturiens illam interfluit, jamque urbs ponte jungitur. Poſt quatuor intra Weſtro-Botniae terminos milliaria, medium inter Hernoeſandiam & Pitheâ urbes noſtra occupans, ab utraque XXII. diſtat milliaribus, & proficiſcentibus publicam aperit viam.

§. II.

Regem gl. mem. JOHANNEM III. de condenda hac urbe primum cepiſſe conſilium, ejus ad praefectos in Weſtro-Botnia territoriales teſtantur literae. Praecipua, quae Regem movebat, cauſſa erat, quod intempeſtivam, quam agrum colentes *Birkarli*, regionem ſimul peragrando, exercebant mercaturam, tolerare non poterat c). Quo itaque hunc civium ſuorum mixtum abrogaret ordinem, incolis

c) *B[illegible] ad LASSE JOENSSON dat. Stockh. d. 16. Jun.* 1583. Ex quibus ſequentia adducere e re eſſe videtur: *Må du wetta LASSE JOENSSON att wåre underſatare menige man utij Weſterbothn hafwe haft deres budh häär hoos oſſ med deres ſkrifwelſer och begeredh blifwe frie och förſkonede med den kopſtadh ſom wi welle der opbygdh, ſå aldenſtund wij ingeledes welle tillſtadse att Landskiop ſkall efter thenne dagh blifwe drifwit der i Landett, utan then ther handle och ſegle welle, han ſkall boo i en Stadh och blifwe borgare, och bonden bruke akren* &c.

lis per totam Weſtro-Botniam injunxit, ut inter eos de commodo loco conveniret, ubi emporium aliquod exſtrueretur, quo mercatores ſe recipere poſſent. Verum cum hoc de nova urbe mandatum minus illis arriſiſſet, delegatos ad Regem miſerunt, qui urbem deprecari tentarent. Regem autem ſententiam non mutaſſe, ex literis tam ſupra, quam infra citatis, colligitur. De novo itaque jubentur aedificare; ita tamen, ut illis integrum relinquatur, ſi vel duas, unam in parte Botniae auſtrali, & alteram in boreali exſtruere vellent urbes: vel ſi unicam tantum in medio regionis excitatam cuperent. Conſtantem tamen Regis fuiſſe voluntatem, ut ante omnia in paroecia *Vma* conderetur urbs, duae ad PETRVM HâRD auſtralis territorii praefectum confirmant literae *d*). Particulam autem illarum, quae tempore ſunt poſteriores infra transſcribere non pigebit *e*). Et quamvis morte Regis interveniente, nullum habuiſſe illius reſcripta effectum, conſtet; ea tamen reticuiſſe, abs re eſſe, duximus. Sic res illae, priſtino

d) *An.* 1585. *d.* 9. *Jan.* & *d.* 28. *Maj. in Swartziö datae.*

e) *Må tu wette Per Hårdh at wåre underſåther Kopmännen i Vmå i tijn befallningh hafwe waritt här hoos oſſ och änun på nytt odmiukeligen befrågadhe ſigh om the Köpſtädher ſom wij wele hafwa ther i Landet upbygde, ſå förundrer oſſ icke litet hwarföre the ännu fråge ther efter. Alldenſtund at wij ſå ofte tillforende hafwe låtit therom ſkrifwe och gifwit wår wilje tillkenne. Och efter wij icke täncke till att förandre wår meningh, utan ther uti Weſterbotnen ſå ſkole twenne Köpſtäder blifwe bygde then ene endelighen uti Vmå ſochn* &c.

Harum Lit. copiam benigne nobis fecit Vir Clariſſim. AND. ANTONIVS STIERNMAN ad Archivum Regni Regiſtrator Laudatiſſimus.

ſtino ſtatu ad tempora usque GUSTAVI MAGNI, manſerunt. Hic enim per Commiſſarios in hunc finem ad Weſtro-Botniam miſſos, locum urbi Vmenſi, ubi jam eſt, non tantum aſſignari, ſed etiam aream, quoad fora & plateas deſignari curavit, prout Narratio ad Illuſtriſſ. Com. DAHLBERGIVM ſupra memorata habet. Multos autem, quorum intererat, tam ex paroecia Vmenſi, quam ceteris adjacentibus, huc ſtatim confluxiſſe, & ſtructis aedificiis fixas ſibi ſedes conſtituiſſe, notum eſt *f*).

§. III.

Novam ſocietatem certis privilegiis munire, S:cra R:a Majeſtas clementiſſime promiſerat, poſtquam de incrementis, hoc eſt numero civium pariter ac aedificiorum conſtaret. Quare etjam Vmenſes ad exemplum reliquarum in Weſtro-Botnia civitatum, duos e numero ſuorum, MDCXXII. ad Comitia Stockholmiae eodem anno celebrata, miſerunt, qui, ut urbi ſuae naſcenti de privilegiis proſpiceret Rex, ſubmiſſe peterent. Voti etſi compotes fieri non potuerunt, cum Rex aliis diſtrictus curis, expeditionem in Livoniam pararet, quo etiam finitis comitiis, claſſe vectus eſt *g*), nihilo minus diploma, ad madatum Regis d. 22. Junii ejusdem anni a ſenatoribus regni datum, reportarunt, quo urbi conceſſum fuit, iisdem in contro-

f) F. *Diplom. Senat. Reg.* 1622. *d.* 22. *Jun. dat.*
g) V. PAVLINI GOTHI *Hiſt. Arct. Lib. II.* [illegible]

troverſiis dirimendis uti legibus, ac utuntur aliae in regno civitates. Praeterea aliquot fundos & ſtabulorum loca in pagis *Taſle*, *Stenbeck* & *Loefoen* impetrarunt; hac tamen conditione, ut annui, ex iis, Salmonumque piſcatione, proventus, in publicos uſus converterentur. His acceſſere immunitates ab omni militum delectu, nec non copia, iisdem utendi privilegiis, quibus reliquae Norlandiarum nuper conditae civitates uterentur. Privilegiorum vero loco haec valerent, donec Rex felici auſpicio rediret, quando aut nova, aut ea, quae nacti fuerant, vellet Rex rata jubere. Verum cum Rex bello Polonico, mox Germanico, in quo glorioſiſſimus ille libertatis noſtrae vindex occubuit, implicatus fuiſſet *b*), per quatuor & viginti annos Vmenſes acceptis privilegiis acquievere, donec ſub auſpiciis Reginae CHRISTINAE, anno MDCXLVI. d. 30. Auguſti nova tandem & viginti duabus incluſa paragraphis adepti ſint privilegia *i*). De quibus, cum nonniſi titulos illorum videre licuerit, non multum dicere habeo: nominaſſe ſufficiat, praeter jura aliis civitatibus, de electione magiſtratus &c. communia, Noſtrae inſignium loco tria rangiferorum integra capita data fuiſſe, ut ex ſigillo in fronte diſſertationis expreſſo, quod ex manuſcriptis PALMSKIöLDIANIS deſumſimus, videre eſt. Praedio cuidam *Sanda*, in cujus fundo aedifi-

b) PAVLIN. *in Libr. cit. pag.* 384.
i) *Narratio ad Com. DAHLB.*

aedificata eſt urbs *k*), cum prato *Myra* ipſi conceſſo, etiam MDCL. d. 31. Octob. munificentia ejusdem Reginae proventus ex $1\frac{3}{4}$. port. vir. in pagis *Grubbe* & *Grisbacka*, inſuper additi ſunt. Haec autem bonorum donatio, poſt biennium, annuis, ex inſula, *Oen*, in fluvio infra civitatem ſita, reditibus aucta eſt *l*).

§. IV.

De commerciis vrbis noſtrae notamus, unamquamque Weſtro-Botniae Civitatem certas ſibi vindicare paroecias, in quibus ſine praejudicio ceterarum, mercaturam exerceat: quæ proinde Weſtro-Botnienſibus *Handelsgebiet* audiunt. Vicinas *Vma Bygdeå* & *Loefånger* Noſtra ſibi annumerat. Sed quum Vmenſium augerentur opes, mercatui anguſtae nimis viſae ſunt tres paroeciae: petiverunt itaq; in comitiis MDCXLIII & MDCLXIV. ut non tantum illis liberum eſſet, in *Nordmaling*, ultima Angermanniae paroecia nundinari, ſed etjam, ut illa, utpote illis maxime vicina, jurisdictione Hernoeſandenſi eximeretur, atque Vmenſi ſubjiceretur. Verum hoc illis denegatum, illud vero conceſſum fuit *m*). Merces autem, quas venum exponunt, ſunt butyrum, Coria, pelles, pecora, ſebum, reſina, aſſeres abiegni, & varia piſci-

k) *Narrat. Magiſt. Vmenſ. ſup. cit.*

l) *In eadem ſaepius cit. Narratione.*

m) *Diplomata cit. in MSS. PALMSKJöLDII reperta.*

piſcium genera, aliquid etjam aliquando frumenti. Praeter hanc cum colonis mercaturam, aliam cum Lapponibus exercentes, ſemel unoquoque anno ad nundinas in Lappmarckia proficiſcuntur. Praecipuus autem nundinarum Locus eſt *Lyckſele*, ubi tabernas magno numero exſtructas habent Vmenſes *n*). Qui autem merces, quae cives & Lappones inter in commercium venire ſoleant, ſcire cupit, adeat B. SCHEFFERVM, in cujus *Lapponia* *o*) eas accuratiſſime enumeratas inveniet. Ea, quae ruri, et in Lappmarckia conquiſiverunt Vmenſes, omnia navigiis impoſita, Stockholmiam aſportantes divendunt, & eorum loco frumentum, ſal, tabacum, ferrum & alia, quae domi divendi queunt, emere ſolent. Idem mercaturae genus Birkarlis olim fuiſſe uſitatum, conſtat, cum illis ex ſingulis paroeciis tamquam ſingulis emporiis *p*), collecta rerum neceſſariarum ſupellectile, non tantum ad loca regni auſtraliora, ſed etjam in Germaniam cum mercibus navigare ſolenne fuerit *q*).

Vmen-

n) Tempus, quo celebrantur nundinae iſtae, *Dn. Sam* RHEN apud SCHEFFERVM ſic indicat: *In omnibus Lappmarckiis certo tempore veris frequentantur nundinae, ut feſto Epiphaniae in Lappmarckia Vmenſi* &c. His nundinis cum in diplomate a Reg. CHRISTINA an. MDCXL. dato, certum tempus ut reliquis non definiatur, idcirco eas iam inde a CAROLI IX. temporibus magis fuiſſe obſervatas, quam ceteras, cum praeſertim illa viciniſſima Sveciae ſit Lappmarckia, judicat modo Laud. SCHEFFERVS in *Lappon. c.* 14. *p.* 176.

o) *Cap.* 14. *p.* 173.

p) AND. BVREI *Deſcr. Svec. p.* 38. & PAVLINI *Hiſt. Arct. Lib. I. cap.* 25 *pag.* 87.

q) Vid. D. JOH. RVDBECKII *Epiſc. Aroſ. Conc. funeb. in Archi-Epiſc.* B. PET. KENICIVM.

Vmenſes etjam diu, poſtquam civitate donati eſſent, ad oras Livoniae appellere, mercesque ſuas *Rigae* & *Revaliae* exponere, & frumento, canabe linove permutare conſueviſſe, adhuc meminimus. Verum poſtquam res, quarum Weſtro-Botnia ferax eſt, illuc ulterius exportari prohiberentur, haec navigatio intermiſſa jacuit *r*).

§. V.

Sed ab illis, quae Noſtram ſuſtentant, ad illa, quae eam ornant, pedem promovemus, h. e. aedificia, quibus jam ſplendet, & ante exitiale ipſi a Muſcovitis factum incendium ſplenduit. De templo igitur omnium primum notamus, cives in ipſis civitatis incunabulis in templo paroeciae ſacra peregiſſe. Eodem autem anno, quo privilegia a Reg. CHRISTINA impetrarunt Vmenſes, fanum in extremitate urbis, & angulo majoris fori ad orientem, juxta Fluvium exſtrui coepit. Hoc ipſum quanquam ligneum, ſuo tamen non deſtituebatur nitore: quippe cujus ſuprema in longius extulit turris ad occidentale latus erecta, ſuumque adjecit decus campanile duabus donatum campanis. Intra parietes templi erant ſuggeſtus, tabula altaris, organon pneumaticum, plurimi ex orichalco Lychnuchi, ornamenta ſanctae domus induſtriam artificum collaudantia. Cum vero minor tandem evaderet prima haec aedes, quam ut caperet multitu-

r) *Relatio de urbe Vma ad Com.* DAHLBERG.

Digitized by Google

dinem creſcentis populi; factum eſt, ut Rex. gl. mem. CAROLVS XI. anno MDCXCIV. menſe Junio in ſuo per W-Botniam itinere, heic aliquamdiu commorans, ſacris in eodem templo aliquoties interſuerit, hasque templi anguſtias deprehenderit. Illa tam felix occaſio fuit quaerendi & impetrandi a ceteris eccleſiis auxilia pro ampliando templo. Erat Rex in Sacra & religionem propenſiſſimus, pecuniaeque ſummam non modo ipſe huic operi perficiendo contulit, verum etjam, ut per totam ſuperintendentiam Hernoeſandenſem, collectis nummis, praeſto eſſet rei gerendae nervus, curavit. Ita ad meridiem & boream adauctum, crucis formam habuit *s*). Stetit usque dum a Muſcovitis MDCCXX. d. 22. Maji in cineres redigeretur, de quo in ſequentibus plura. Tandem, poſtquam halcyonia interventu pacis, nacta eſſet urbs, de novo templo cogitari coeptum eſt, ſed cum civibus, utpôte omnibus ſpoliatis opibus, non ſuppeteret, quod ad tale opus requiri videbatur, a Clementiſſimo Rege atque Auguſtiſſimo *FRIDERICO* conceſſum fuit, ut impenſae per totum regnum ad ſublevandam Vmenſium inopiam colligerentur. Ita eodem loco, quo antea ſteterat, aliud etjam ex ligno, eadem fere facie reſurrexit templum. Quatuor autem illius extremitates in cardinales protenſae plagas, interjectis junguntur parietibus. Tectum quatuor ſuſtinent columnae: in me-

s) *Narrat. de Civit. Vma.*

dio, turris juſta proceritate cum deaurato apice conſpicua eminet. Vetus campaniſterium cum aliquantulum ab ipſo templo diſtaret, ab incendio intactum, etjam adhuc ſupereſt. In illo pendent duae campanae, de quibus infra *t*). Vnum haec eccleſia ſuſtentat Sacellanum; Eodem vero ac paroecia utitur Paſtore.

§. VI.

Sed a templo ad curiam, quae olim ſatis ornata, in medio urbis exſtructa erat, ubi nunc alia exſtat, quae priſtinae, qua nitorem non cedit, niſi quod horologium adhuc non habeat. In ſummitate ipſius campana nuper fuſa pendet, qua ad conventus publicos ſignum datur. Conſulum, qui huic praefuere, ſeriem talem accepimus.

1) *Avander.* 2) *Dan. Joh. Traſt.* 3) *Eric Jöransſon.* 4) *And. Gertzon.* 5) *Joh. Rydſtröm.* 6) *Joh. Jsberg.* 7) *Gabriel Thavonius*, qui pro ea, qua

gau-

t) Majoris ad Limbum peripheria $5\frac{1}{2}$. uln. eſt. Inſcriptio in ſuperiori circulo eſt: Eſ. 2: 3. *Venite aſcendamus* &c. Et ab uno latere: *Hans Kongl. Majeſtets Tro-Man och Landshöfdinge öfwer Norlanden ädle och wälborne JOH. GRAN til Aneſtadt och ſtora Väsby.* Et ab altero e regione: *ERICVS NIVRENIVS Paſtor til Vmeå Sochn och Stads förſamlingar.* DANIEL JOHANSSON TRAST, *Borgmäſtare, And. Nilsſon, Erich Joranſſon*, cum inſigni civitatis expreſſo. Porro praeter effigiem Salvatoris in Cruce duabus ſtipata hominum imaginibus, etjam quatuor cancri & duo Salmones in illa conſpiciuntur. Infra denique in circo leguntur: Eſ. 2: 5. *Domus Jacobi agite* &c. *Jorgen Putenſon in Stockholm me fecit anno* 1656. Minor autem camp. cujus circumferentia $4\frac{3}{4}$. uln. habetur, hanc ſibi praefert Inſcriptionem *Luc.* 2: 14. *Pſ.* 122. 1659. *Borgm. DAN. JOH. TRAST. Befallingsm. AND PERSSON TEGMAN.*

gaudet eruditione, hoc munere multa cum laude fungens, plurima in noſtram vrbem contulit bona.

Curiam excipiat Schola, cujus aedificium ipſi vicinum, etjam poſt incendium urbis exſtructum eſt. Quamvis tempus, quo inſtitutus ſit hicce ludus literarius, definire non poſſimus, eum tamen anno MDCXLII. viguiſſe, & unum ſaltem habuiſſe moderatorem, ex BAZIO Conſtat *u*). Collegam vero Rectori non multo poſt datum fuiſſe, talis nominum ipſorum catalogus docere videtur. Rectores. 1) *Dn. Gabriel Angermannus.* 2) *Dn. And. Nectergal.* 3) *Dn. Ol. Plantin.* 4) *Dn. Petrus Attmarius*, poſtea Paſt. in Burtraesk. 5) *Dn. Elias Ask*, inde Paſtor in Löfånger, genitor meus b. etjam poſt fata omni honore nominandus. 6) *Dn. Ol. Lindahl*, nunc Sacell. Vmenſ. 7) *Mag. Jac. Orre*, Rector Sch. Triv. Hernoeſ. 8) *Mag. Joh. Hedſtröm*, Rector hodie laudatiſſimus. Collegae fuere: 1) *Dn. Stenbeck.* 2) *Dn. Petrus Schiecht.* 3) *Dn. Bureus.* 4) *Dn. Ol. Modin* Sacell. Vmenſ. hodie. 5) *Dn. Jon. Byſtröm* 6) *Dn. Joh. Neßler.*

Vberior de civitatis noſtrae ſitu, nec non aedificiorum facie, quam olim habuit, notitia haberi poteſt, ex accuratiſſima illius delineatione, quam aeri inciſam Illuſt. Comes DAHLBERGIVS SVECIAE ANTIQVAE & NOVAE adornatam reliquit.

§. VII.

u) *Invent. Eccleſ. Sveog. Lib. VIII. cap. 21. pag. 841.*

§. VII.

Sedem ſatrapae, civitatis noſtrae magnum decus, ad finem reſervavimus. Illam heic ab eo usque tempore fixam manſiſſe conſtat, quo Weſtro-Botnia reliquarum Norlandiarum Satrapis ademta, ſuum coepit habere Gubernatorem. Hoc autem anno MDCXXXVIII. factum fuiſſe, teſtatur Nob. PERINGSKIÖLDIVS, qui ſimul primum heic conſediſſe STELLANUM MÖRNER docet *x*), poſt quem tredecim praeter propter, non minus ſtemmatum nobilitate, quam heroica virtute coruſcantes, eandem ſpartam ornarunt, quos ordine recenſerem, niſi id in Diſſertatione de Weſtro-Botnia praeſtitum eſſet *y*). Ipſa Gubernatoris aula, prope urbem ad orientem, ſplendidis ex ligno aedificiis, exſtructa, in primo urbis incendio ſuperſtes manſit: quae cum ſexaginta circiter annos ſtetiſſet, & ruinam proinde minari videretur, nova multo ſplendidior in locum ipſius aedificata eſt, quae 1720. a Muſcovitis incenſa conflagravit. Inde ad templum paroeciae aula poſtea translata eſt, atque Clem. Rex noſter *FRIDERICVS*, & ordines regni, praedium nomine *Gran*, in Satraparum uſum non modo emi, verum etjam pecuniae ſummam pro aedificio, tanto munere digno, attribui curarunt. Aulam itaque 1723. ibi aedificari coeptam, cum Cancellaria atque aerario, hodie

x) *Monum. Vpl. Lib. I. cap. 1. p. 10.* *y*) *pag.* 47.

die nitidiſſimam cernere licet. Hanc ipſam ſedem non modo fluvii, ſed multa inſuper agrorum ac pratorum amoenitate undique ſeptam, hoc tempore Perilluſtris atque Generoſiſſimus Baro Dn. JACOBVS GRVNDEL ornat, quem amiſſum, ut ſero lugeat Weſtro-Botnia, ex toto pectore vovemus!

§. VIII.

Triſtia urbis-fata, per incurſiones hoſtiles attingere duntaxat licet, perſcribere eſt hiſtorici. Sed ideo attingimus, quia neſcio, an alia urbs in his oris tam duriter habita fuerit, ac Noſtra. Initium calamitatum incidit in annum 1714. & diem 18. Sept. quando meridiano tempore, nemine repugnante, Muſcovita civitatem opima refertam praeda, intrat, praedam aufert. Opima certe ea erat, cum praeter integras civium facultates, plurima etjam profugorum ex Oſtro-Botnia bona in hoſtium ceſſere manus. Praeda exportata, ignis urbi injicitur, templum undecim ex orichalco lychnuchis aliisque ornamentis ſpoliatum, nudum remanſit. Campanas ferramentis firmiter religatas, quum ergaſtulis ſuis liberare non poterant, intactas reliquere: Aulaeque ſatrapae pepercere. Sed omnes Civium naves, mercibus magni pretii onuſtas, nec procul ab hoſtium ſtatione, paratas ad navigandum, combuſſerunt. Quod damnum Vmenſibus ad hunc diem irreparabile eſt. Sed nulla calamitas ſola. Nam 1717. aeſtivo tempore, bis inſulam

Hol-

Digitized by Google

Holmoen populando & incolas illius partim occidendo, partim abducendo, magnum Vmenſibus injecit Muſcovita terrorem, ut 1719. duae in Januario praedonum ex Coſſackis catervae, commodam ex congelato, intra Waza & Vmea mari, nactae occaſionem, ſupervenientes, eorum, qui poſt incendium aedificarant, abſtulerunt bona. Anno ſequenti 1720. d. 21. Maji iidem hoſtes quicquid aedificiorum in urbe reſtauratum eſſet, una cum templo & aula ſatrapae igne delerunt. Qualia etjam fata 1721. d. 8. Junii Vmenſes experti ſunt z).

CAP. II.

De
PAROECIIS
SECTIO I.
De
Paroecia Vmenſi.

§ I.

Nihil difficilius eſſe, quam eruere originem nominum, quibus aevo veteri urbes ac regiones innotuerint a), apparet, dum etymolo-

z) Quae in hac § allata ſunt, deſumſimus ex iis, quae de afflicto hoc rerum ſtatu B Praepoſ. Mag. NICOLAVS GRVBB in actis templi Vmenſis accuratiſſime annotavit. Quorum etjam ſumma videri poterit in Ampliſſ. Archipraepoſ. Lincop. Dn. M. AND. RHYZELII *Brontologia Theol-Hiſt. Part. III. pag.* 112. 117. 118. 119.

a) *B. Prof. LAGERLÖÖF in Svec. antiq. & Nov.* p. 8.

mologiam vocis *Vma* rimari animus eſt. Haec enim res, cum adeo multis fabularum tricis ſit impedita, ut Oedipo certe opus habere videatur; ideo quid a noſtra tenuitate ſit exſpectandum, facile liquet.

Hunc terrae tractum, ubi jam eſt *Vma*, antiquiſſimis temporibus YMISLANDIAM fuiſſe appellatum, praeter alios, Nobiliſſ. PERINGSKIöLDIVS teſtatur *b*). Ymislandiae autem ſitus in HERVORAE hiſtoria exprimitur: *Jotunheimar voru kallader northan um Gandvik, enn ſyrir ſunnan Ymisland, amillum Halogaland.* h. e. *Jotunheimia vocatur ille tractus terrarum, qui trans Gandvicum in Boream cis Ymislandiam, in meridiem circa vel in medio attingens Halogalandiam c*). Vt jam nihil de *Jotunheimia* atque *Gandvico* dicamus, vel ſola *Halogia* Norrigiae illa provincia, *Vma Ymislandiam* olim dictam fuiſſe, commonſtrat, quippe quae ipſius montium juga ad occidentem hodieque attingit *d*). Notiſſimum eſt, antiquiſſimas regionum appellationes, levitate atque incuria linguae, vel in affines, vel etjam in alienas prorſus, ita degeneraſſe, ut illarum ſitus hodie ſoepe fruſtra quaeratur: at *Ymislandiam*, in *Vmalandiam* & *Vma*, facile & ſine offenſione mutaveris. Auctor nobis eſt B. RVDBECKIVS, qui dum linguarum *Scoticae* & *Helveticae*

b) *Mon. Vpl. Lib. I. cap.* 1. *p.* 10. cfr. *PET. SALANUS in notis ad Egill. & Aſm. Hiſt. p.* 122.

c) vid. Ampl. Transl. Reg. Dn. ER. J. BIöRNER de *Jotunheim.* pag. 36. ex C. 1. p. 1. MSS. *Herv.* Arch. Antiq.

d) Uti ex mappis Geogr. videri poterit confr. TORFAEI *Hiſt. Rer. Norv.* T. I. Lib. X. C. 9. p. 418. & Diſp. de *Facie Angerm. Ant. & Nov.* p. 5.

ticae cum Lingua *Weſtro - Botnica* convenientiam monſtrare annititur, eam etjam ex Vmenſi quodam ſe didiciſſe perhibet. *Is*, inquit, *natale ſolum Vmo nominaturus, vocalem V tanta mora tamque vario ſono efferebat, ac ſi omnes ac ſingulas vocales juſto ordine recenſeret; eo tamen ſoni connexu, ut unam tantum literam exprimere videretur*, Aeioymo *pro Vmo pronuncians e*). Praeterea *Vma* & *Yma* etjam tempore Regis JOHANNIS III. promiſcue uſurpatas fuiſſe, ex literis illius ad PETRVM HåRD conſtat *f*). *Ymislandiam* tamen non tam in *Vma* abiviſſe, quam potius fuiſſe majoris tractus appellationem cenſemus. Sed ab his, utpote levioribus, ad ipſam *Ymislandiae* originem indagandam, quae majus nobis faceſſit negotium, divertimus. Cum TORFAEO itaque *g*), Ymislandiam a vetuſtiſſimo *Jotunheimiae* incola *Ymo* vel *Ymero* dictam eſſe putamus. Sed quum de Ymo veteres Islandorum Skaldos multa olim fabulatos fuiſſe, conſtet, quae infra videbimus *h*), & fidem vix invenire poſſint;

C dubium

e) *Atl.* Tom. IV. p. 187. *f*) Ab an. 1585. d. 9. Jan. dat.

g) Loc. ſup. cit.

h) Fabularum de YMERO ſumma huc fere redit: *Illum ex pruina in guttas reſoluta natum eſſe: Dormientem ſub ala ſiniſtra ſudorem emiſiſſe, unde mas & femina ſunt: Pedem ejus unum ex alio filium genuiſſe: Hrymthuſſos h. e. pruinae gigantes hinc deſcendiſſe, eorumque primum Ymerum fuiſſe: Vaccam nomine Adumbla, etjam pruinae ſtillicidio enatam, Ymerum non tantum paviſſe, ſed quoque, illa in nutrimentum lapides pruina & ſalſugine obductos, tres dies lingente, hominem inde* BVRE *appellatum prodiiſſe. ejusque ex* BORO *filio nepotes Ymerum occidiſſe, tantumque ex vulneribus cadentis effuſum eſſe cruorem, ut diluvio univerſum genus Hrymthuſſorum ſubmergeretur, praeter* BERGELMERVM, *qui cum uxore molam ſuam aſcendens, vitam ibi conſervavit. Porro ex occiſi Ymeri carne tellurem,*

dubium ſuboriri poterit, num aliquis *Ymerus* unquam exſtiterit. Verum enimvero, utut multa in poëtis ſint fabuloſa, non tamen fabulae impediunt, quo minus nobis perſvaſum eſſe debeat, *Ymerum* quendam re vera exſtitiſſe, ſub cujus nominis involucro veteribus Skaldis ſapientiam ſuam condere placuit: adeo ut dum *Ymislandiam* ab *Ymero* tot prodigioſis rebus famoſo derivari contendimus, cum LIVIO dicere liceat: *Datur haec venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium* (regionum) *auguſtiora faciat i*). Nos in noſtrae ſententiae robur, unicum, & id quidem ex incorruptis rerum geſtarum monumentis petitum, adducimus teſtimonium: *Arngrim Reſe Eigrims farfar, ägde Ama Ymers dotter utur Ymisland k*). Hinc non modo *Ymerum* exſtitiſſe, ſed etjam in *Ymislandia* habitaſſe patet. Quare illam non minus ab *Ymero* appellatam eſſe credimus, quam Halogiam regionem, ipſi vicinam, a Rege HALOGO *l*). Et quemadmodum gigantes montoſa prae ceteris amabant loca, ut ab aliorum inſultibus eo tutiores degerent *m*): ita etjam veroſimile eſt, montem *Imaum* (*Ymafiell*) *n*) ab *Ymero*, tamquam

grandia ſaxa ex oſſibus, ligna ex dentibus, coelumque ex capite ipſius exſtitiſſe Vt praetereamus ea, quae de *Ymeri* cum THORO piſcatione cum allatis, EDDA *Mytholog. IV. V. VI. & XLII. habet.* *i*) *In Praefat.*

k) PERINSK. *Aettartal pag.* 60. conf. VERELII not. ad Hiſt. Herv. p. 61.

l) VERELIVS in notis ad *Herv. S.* p. 28. ex *Thorſtani Vikingſ. S.* haec habet: *Af honom* (Haloge) *tok Landid nafn, oc war kallad Halogaland.* h. e. *Ab eo provinciae nomen Halogaland impoſitum eſt.*

m) P. SALANVS in not. ad *Egilis & Aſm. Hiſt.* p. 125. confr. VEREL. in *Herv.* p. 11.

n) RVDB. *Atl.* Tom. I. p. 389. 390. *Nomen ipſi eſt* YMABERG, *id eſt*

quam ſedem ejus propriam, nomen ſortitum fuiſſe. Nam ſic etjam montem Norigiae *Doffra-fiell'* a gigante DOFFRONE ejus incola, dictum eſſe conſtat *o*). Cum fluvius Vmenſis in montis *Imai* radicibus per magnum quendam Lacum, *Stor-Vma* ab *Ymo* etjam, uti videtur, dictum, fluere feratur *p*), videtur omnino probabile, *Vma* vel *Yme-a* h.e. *Ymeri* fluvium, nomen ſuum ſic acceptum, ad mare usque devexiſſe, & paroeciae Vmenſi dediſſe. Verum ſi cum B. RVDBECKIO *q*) credamus, hunc ipſum montem, *Imaum* eſſe, cujus mentionem PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib.* 6. *cap.* 17. facit, ne ſic quidem aſſertioni noſtrae oberimus. Nam cum PLINIVS *Imaum* incolarum lingua montem nivoſum ſignificare dicit, apprime cum *Ymo Rymþuſſo* h. e. pruinae gigante convenit: cum *nives* & *pluvias Ymi lacrimas* EDDA in *Nominibus pluviarum* appellet: atque etjamnum lingua Gothica *Ym* & *Rym*, *pruinam* & *rorem* ſignificent *r*). In hisce dum verſamur, phraſium *oeſter um Kiölen*, *ad orientalem partem carinae*, *veſter um Yma*, *ad orienta-*

 lem

Mons Imaus, cum quo Vma regio & pars Lapponiae commune nomen habent, & in latitudinem extenditur a gradu 64. *usque ad gr.* 70. *per mill. germ.* 105. *uti vult* Cl. SCHEFFERVS *in Lapponia c.* 2. *p.* 14. Alia quaedam de Imao in literis Latino ſermone, ſub GREGORIO XI. MCCCLXXIV. ſcriptis, *ex antiqu. LL. Helſing. & Tingm. Balker* ſic habentur: *Swea ſkiptis Landom twäggia Konunga mällan, att Swerikes oc Norikes birjas i Viatraiski, oc leder äpter Ymä ſampton wikno langan.* h. e. *Sveoniam duo Reges dividunt, ita ut Sveciae & Norvegiae limes ſit Vla palus, a qua per dorſum Ymai montis, itinere quindecim hebdomadarum ducit.* RVDBECKII *Atl. T. III. p.* 415.

o) ARNGRIMVS *de primordiis Gent. Isl. c.* 4. *apud* VEREL. *in not. Herv. p.* 12.

p) Vid. inf. §. III. C. II. Sect. I. *q*) Atl. Tom. I. p. 393. *r*) RVDB. loc. cit.

lem partem Imai, & *oeſter um ſiellen*, *ad orientalem partem montium*, Norigiis in Sueciam tranſituris, per quam familiarium *s*), injicienda eſt mentio. Hos enim loquendi modos Graecos Latinosque veteres pro montis nomine arripuiſſe, & ex *Oeſtr* & *Yma Oeſterymnim* confeciſſe ex ſequentibus FESTI AVIENI verſibus ſuſpicatur B. RVDBECK. *t*) v. 431.

- - - - Laeva dicti ceſpitis
Lybiae propinqua ſtalia duro perſtrepunt
Septentrione, ſed loco certa tenent,
Et prominentis hic jugi ſurgit caput.
(Oeſterymnin iſtud dixit aevum antiquius):
Molesque celſa ſaxei faſtigii
Tota in tepentem maxime vergit notum u).

Neque hoc fundamento deſtituitur: nam PLINIVS HIMILCONEM Carthagine ad extera Europae noſcenda miſſum eſſe teſtatur *v*), cujus iter FESTVM deſcripſiſſe infra ſic indicatur:

Quae Himilco Poenus menſibus vix quatuor
Vt ipſe ſemet rem probaſſe retulit &c.

§. II.

Paroecia Vmenſis, qua maximam partem, plano admodum ſolo gaudet. Publica etenim per illam via, praeterquam quod collibus non ſit impedita, proficiſcentes per ſpatioſa ducit prata *x*). Hujus

s) PET. CLASSENS *Deſcriptio Norwegiae p.* 138. & Cantil. quaedam S. OLai, in qua exſtat *Oeſterum Yma*. RVDBECK. Atl. T. I. pag. 471.

t) RVDB. l. c. *u*) RVDB. Atl. T. I. p. 470. *v*) Hiſt. Nat. lib. II. c. 67.

x) Vulgatior fama fert, pratum *Roebecks-engen* dictum, tot foeni conditoria in ſe habere, quot diebus annus conſtat, immo, auſim dicere

jus itaque & aliorum in Weſtro - Botnia locorum reſpectu, Rev. Epiſc. BILBERGIVS jure affirmat, Botniam, quamvis ſit borealior, commodiore tamen gaudere ſolo, quam ad meridiem inter montes ſitas provincias *y*). Noſtram ad auſtrum, ab ultima Angermanniae paroecia *Nordmaling*, rivus quidam inter pagos *Baeck* & *Aengerſioe* excurrens, dividit *z*). Ad ſeptentrionem vero eam, a paroecia *Bygdeå* locus inter pagos *Pålboele* & *Diekneboda*, *Metallen* dictus diſterminat *a*). Intra hos limites longitudo illius quartam unius milliaris partem ſupra ſeptem integra complectitur; decem vero illius conſtat latitudo. Et quemadmodum in circuitu ſat ampla eſt; ita etjam omnium in Weſtro-Botnia reliquarum maxima: continet enim centum & 97 port. viril. (Sveth. *Mantal*). Cenſus vero militum centenarium cum quinquaginta exaequat numerum.

plura. Vnde de ejus amplitudine ac fertilitate judicari poteſt. Ad pagum Rödbaeck, a quo pratum ipſi vicinum, dicitur, limpidis e terra ſcaturiens aquis, habetur fons, qui quidem propter opinionem de ſingulari virtute, Generoſiſſimo Satrapae VRBANO HIERNE, in tractatu *Beſvar. och Forklarad anledning till åthskillige Bergarters och mineraliers efterſpörjande.* Fl.I. p. 14. innotuit; Verum, quod ibi de accolarum ex illo, prae ceteris ſalubritate & longaevitate, nec non numero colonorum pagi, 80 eos eſſe, adfertur, male ſibi narratis ſcripſit vir ille magnus; cum incolae ejusdem fontis non utantur aquis, quoniam longius a pago diſtat, nec plures quam 28. ſunt. uti ex literis b. patris mei ad Max. Rev. DN. DOCT. GEORGIVM WALLIN anno 1707. datis, conſtat. *y*) In *Refract. ſol. Inoccidend.* p. 86.

z) *Vid. Diſſ. de Weſtro-Botnia* p. 19.

a) Ante annos enim non ita multos, abies ingentis magnitudinis ibi exſtiterat, & limitis loco erat, cui, ut nomina ſua inciderent praetereuntes, nihil ſolennius fuit.

§. III.

Cum fluvius Vma paroeciam quaſi dividat, ſitumque illius multum illuſtret; illum in ipſo cacumine montium, quibus Suecia a Norigia diſtinguitur, e lacu quodam *Rödſioen* dicto, oriri obſervamus. Inde per duos alios notabiliores lacus *Oeſra* & *Nedra-Stor-Vma b*) decurrens, Lappmarckiam *Lyckſele* a parte meridiana praeterlabitur. Infra illam multas efficit cataractas, quarum una a praecipiti, qua labitur aquarum mole *Faellforſſen* dicta, ideo potiſſimum memorabilis eſt, quod Salmones impediat, ne longius progredi queant. Petra enim magnae molis ipſi alveo objecta eſt, quam aquarum undae tanta violentia tranſcendunt, ut dum deorſum caderent, in altum adeo proſiliunt, ut copiam faciant accolis, petram Scapha ſubeundi, ſalmonesque ibi ſubſiſtentes, inſtrumento ferreo percutiendi. Noſter hinc ubi paullo proceſſerit, fluvio *Vindela* jungitur *c*). Hic ipſe oriens e ſummis montium jugis, in ſubjecta cadit. Quam vero longe iſti fluvii a mari jungantur, optime docet OLAVS PETRI NIVRENIVS: *Huic* inquit (Angermanno fluvio) *ad ſeptentrionem proximus eſt Vma, duobus fluviis conſtans maximis, Vendela & Vma, qui ſex milliaribus a mari coëunt: uterque poſtea Vmâ vocatus,*

b) Hi ipſi adeo ſunt ſpatioſi, ut illius, qui ordine eſt ſecundus, longitudo quindecim, et latitudo duo milliaria contineant. Haec et quae ſupra de origine fluviorum *Vma* atque *Vindela* habentur, benigne & ſponte mecum communicavit Pl. Rev. atque Erudiriſſ. Dn. OLAVS GRAAN, eccleſiae Lyckſelenſis Paſtor laudatisſimus.

c) De quo vid. RUDB. Atl. Tom. III. p. 628.

catus, *toti paroeciae dat appellationem d*). Vrbem praeterfluenti *e*), objecta eſt inſula, quae diſtributis aquis, duo illi aperit itinera. Horum boreale, major amnis; auſtrale vero minor vocatur. Sed qui amnes mox in unum coëunt alveum, adque mare junctis quaſi viribus feſtinant. Altiores noſter quondam egit undas, ut magnis in exportandis mercibus Vmenſes uti potuerint navigiis; ſed quae impeditae arenis, ex altioribus, decidendentibus, ripis, alveumque complentibus *f*). Memorabile eſt anno 1721, ineunte aeſtate, tantam fuiſſe hujus fluvii inundationem, ut ſimilis intra centum & 50 annos non fuiſſe putetur *g*). Tum enim ex inſolito aëris calore

- - - - Pyrenaeae, quas nunquam ſolvere Titan
Evaluit, fluxere nives. fractoque madeſcunt
Saxa gelu: tum, quae ſolitis e fontibus exit,
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
a ripis accepit aquas. &c. *h*).

Praeter varia piſcium genera, quae in hoc fluvio capiuntur, ſalmonum prae ceteris, capturae opera

d) In *Deſcriptione Lapponiae* C. XIII. Mſc. ex Biblioth. Vpſ. De ſitu Fluvii Vinila vid. BUREI. *Tab. Geogr.*

e) Ibi ex Relat. de Vm. fluvius 450. ulnarum latus eſt.

f) *Relatio de Vrbe Vm.* Hoc tamen hodie non adeo magnum Vmenſibus creare incommodum, credibile eſt; Nam praeterquam, quod minoribus jam utantur navigiis, eos alium alveum aliquanto profundiorem, nuper inveniſſe fertur.

g) Ex actis templi Vmenſis; quae ſimul memorant, hoc inſuetum fluvii diluvium agros & prata inundaſſe, atque non modo horrea in iis, verum etjam omnes moles, & clauſtra Salmonibus in fluvio exſtructa, abſorbſiſſe, ut damnum, incredibile dictu, inde ceperint accolae.

h) LUCANUS Lib. IV. *Pharſaliae*, p. m. 55.

ra datur *i*). Hujus piſcationis omnes fere fluvii accolae, a mari ad *Faellforſſen* usque, participes ſunt.

§. IV.

De antiquitate hujus paroeciae acturi, illam ad id tempus non extendimus, quo coepit W-Botnia primum habitari. Satis ad antiquitatem Vmenſium eſt, *Vmislandiae* mentionem hiſtoriam Hervorae facere *k*), & *Vmam* hoc nomine antiquitus innotuiſſe, ut Nobil. PERINGSKIöLDIVS & SALANVS conſentiunt *l*). In LL. etjam Helſing. *Konungsb.* & *7. fl.* hodierno ſuo nomine *Vma* ſic memoratur: *I Vma ok i Bygdu ok allum them ther byggiä Nordan fore* &c. Hinc conſtat hunc terrae tractum tum temporis non modo fuiſſe cultum, ſed ejus incolas leges cum Helſingis habuiſſe communes *m*). Praeter ea, quae ex ſcriptis veterum, pro antiquitate cujusdam loci aſſerenda, adferuntur argumenta; haud ſecundi ordinis haberi coeperunt, quae ex tumulis ſepulcralibus deſumi ſolent. Tales, cum in auſtralioribus Sveciae regionibus magno numero omnibus obvii; in Weſtro-Botnia vero rariores ſint,

i) Hinc forte inſignium loco, paroecia Vmenſis, Salmonem cum tribus liliis habet. *k*) Vetuſt. in Archiv. regni Mſc. C. I. p. 1.

l) *Mon. Vlleråk* Lib. I. C. I. p. 10. SALANI not. in *Egills & Aſm. Hiſt.* p. 122.

m) Videſis Nob. STIERNH. de *jure Sveon. & Goth. vetuſto* Lib. I. cap. 1. p. 13. Quid autem de aetate L L. Helſing. ſit tenendum, docet B. Prof. CLAVD. ÅKERMAN in praef. ad *L L. Weſm.* ubi ex fl. 16. Ärfd. B. L.L. Helſ. concludit eas, qua partem, a Rege MAGNO Principis ERICI filio latas fuiſſe. Vixit autem Rex ille, circa annum MCCCXX.

ſint; non miraberis B. L. ſi unum heic paucis deſcriptum, oculis tuis ſubjecerimus, ut conſtet W-Botniam hoc tanto antiquitatis praeſidio non carere. Situs autem eſt hic ipſe collis cis fluvium Vmenſem ad latus auſtrale, prope pagum *Klabboele*. Ibi in prato trecentis ab ipſo fluvio paſſibus, proſtat. Altitudo illius ad perpendiculum dimenſa, quartam ulnae portionem, ſupra ſeptendecim, conficit. Ejus circa pedem peripheria CLX ulnarum eſt. Circulari figura ab omni parte aequalis, eandem, quam colles veteris Vpſaliae, refert faciem, adeo ut merito ſuſpicari liceat, eum pro dignitate familiae cujusdam in ipſo conditae, tam magnum eſſe congeſtum *n*). Aetas tumuli ſecundum bacillum RVDBECKII menſorium ſic explorata eſt: in ipſo vertice, arena argilloſa apparuit, poſt vero duas vel tres a latere ulnas, atra humus duorum digitorum & ſupra, craſſa comparuit: ex quibus, inſtituto calculo Rudbeckiano, mille prodeunt anni. Collis raro gramine, muſco & myrica intermixtis, tectus eſt. Ad pedem cernuntur duarum vel trium putrefactarum reliquiae pinuum *o*).

§. V.

Hoc uno contenti eſſemus, niſi a boreali fluvii parte, inter pagum *Baggeboele* & templum paroeciae,

 duo

n) Vid. LOCCENII, *antiquit. Sweo-Goth.* cap 26. pag. 160.

o) Hujus, cum eorum, qui in ſeq. §. memorantur, collium deſcriptionem & multa alia induſtriae Pl. Rev. & Doctiſſ. Dn. BERNHARDI ASK legionis Weſtro-Botnicae Concionatoris laudatiſſ. Fratris cariſſimi, debeo.

duo alii notabiliores exſtarent tumuli; quos tamen ex iis, quae ſequuntur, ſepulcrales eſſe, facile non dixerimus. Alio interim modo pro antiquitate Noſtrae loquuntur. Etjam hi non ultra lapidis jactum a fluvio diſtantes, orientem & occidentem verſus, recta linea invicem ſe reſpiciunt. Et quamvis ambo a dicti pagi incolis in agros magnam partem ſint redacti, altitudinem tamen 28 ulnarum, certis locis, adhuc continent. Horum unus dum adhuc integer erat, fontem vel puteum monſtrabat ſatis profundum, qui ab una ſui parte, veluti plateam, lapidibus ſtratam, habebat. Quibus uſibus inſervierunt tales colles & fontes, dicere ſolent antiquarii. Sed ſunt alia, quae in opinionem aliam adducere poſſunt, ut credamus hos colles in uſum belli congeſtos eſſe. Quo alias pertinebunt majoris ambitus ex orichalco annulus & utenſilia domeſtica, praeter copiam combuſti putaminis hordeacei, ibi reperta? Haec cum rariora ſint inter ea, quae in tumulis veterum ſepulcralibus inveniri ſolent *p*), perquam difficile eſt, certi quid hac de re pronunciare. Interea tamen non tantum combuſtum in colle frumentum, & foſſa, quae utroſque ambit, ſed

p) Memorat quidem magnum Patriae decus OL. RUDBECKIUS *Atl.* Tom I. p. 140. ſeq. IOSEPHUM BARBARUM Reipubl. Venetae ad Perſas legatum, anno Chr. 1438. in ſuo per Turciam itinere, prope Tanaim in colle Regis cujusdam veteris ſepulcrali, quem effodere curavit, praeter cineres & oſſa, etjam inveniſſe milii corticulas, unius ſpithami craſſitiem exaequantes; adeo ut robur aliquod nobis inde accedere videatur, cur noſter ejusdem indolis, ac ille habendus ſit, praeſertim cum veteres Gothi orientalia iſta loca olim tenuerint; Sed aliis obſtantibus circumſtantiis, aliam elegimus opinionem; Attamen penes lectorem ſuum, hac de re, eſſe volumus judicium.

ſed etjam quae, a ruſticis provectae aetatis, de bello, quod majores illorum, longa retro ſerie, & Norigios interceſſerat, narrantur, omnino confirmare videntur, fuiſſe tumulos iſtos propugnacula ad propulſandam hoſtium vim, olim congeſta. Immo ſuperſunt veſtigia fugientium Norigiorum, in pago *Waennaes q)*, a quo domum ſe recepiſſe commemorantur: ipſumque vocabulum *Waennaes*, quod a *waenda* eſt, aliquid heic etjam momenti habere liquet. Caſtra noſtratium in *Koddis* fuiſſe dicuntur: cujus denominationem eſſe volunt a *Kod* viro & foemina ejus *Diſa*, *Koddiſa*, quod nomen Weſtro-Botnienſibus ultimas vocales raro exprimentibus, degeneravit in *Koddis r)*. Sed vocum origines heic perſequi noſtrum non eſt; ad templum itaque properamus.

§. VI.

Hoc ipſum dimidio, ab urbe verſus occidentem, milliari remotum, & ad fluvium ex lapidibus exſtructum, tantae eſt capacitatis, ut ejus longitudo $74\frac{1}{2}$ uln. & latitudo $26\frac{1}{2}$ conficiant. De aetate atque fundatione ipſius, nihil quidem in actis noſtris invenitur: ſed in paroeciae hujus pago *Waennaes*, liber quidam ligneus tredecim conſtans foliis

 cum

q). Eſt hic ipſe pagus, qui, JACOBO, CAROLO & NICOLAO WENMANNIS, viris in hac Muſarum Palaeſtra quondam claris, & poſtea de eccleſia optime meritis, nomen dedit; Majores namque ipſorum hinc oriundi erant.

r). A vero hoc non abhorret, cum alia etjam loca, nomina olim ab inhabitatoribus ſuis utriusque ſexus ſimul tuliſſe, conſtet, e. g. Silvae quidam tractus in Nericiae paroecia Giöthlunda, *Kragla Kropp*, a gigante mare *Kropp* & gigante femina *Kragla*, qui ibi ſepulti creduntur, dictus eſſe putatur, vid. LOCCENII *Antiqv. Sveo-Goth.* C. 26. p. 162.

cum hoc titulo repertus eſt: *Raekneboolk uthritt* : In ipſo aliquot, praeſertim in progreſſione arithmetica, exſtitere exempla; in octavo autem & nono folio etjam de templi & praedii Paſtoris fundatione haec continentur :

Fol. 8. *p.* 1. *Körk*, *Bole*, *blef*, *forſt*, *fundera*, *efter werdenes ſkapelſe*, 5463. *Korkbole*, *blef forſt fundera efter Chriſti ſodelſe* 1499. *Körka blef fulbygd efter werdenes ſkapelſe* 5470. *Körcka blef fullbygd efter Chriſti födelſe* 1508. *fol.* 9. *p.* 2. *Kyrckboble blef funderat efter Chriſti födelſe* 1499. *Kyrckan funderades A:o Chriſti* 1501. *Fullbygd* - - - 1508.

Haec ipſa ſcitu maxime neceſſaria, dudum periiſſent, niſi ſedulus antiquitatum patriae noſtrae indagator B. PALMSKIöLDIVS eadem deſcripta ſervaſſet: ex cujus Mſc. pro ſolita erga omnes humanitate, Max. Rev. Doctor & Bibliothecarius Acad. Vpſ. Dn. GEORGIVS WALLIN, eorum, praeter alia, copiam nobis fecit. Ex hac templi aetate facile concludi poteſt, aliud ante hoc paroeciam Vmenſem habuiſſe, cum initio ſec. XV. Dn. OLAVS *de Torſtunom* Canonicus templi Trinitatis Vpſ. Curatus in Vma factus eſſe dicatur *s*). Atque ſic non incongruum eſt, quod in vulgo circumfertur, exſtitiſſe olim templum eo loco, ubi jam eſt urbs:

 cujus

s) *Chron. Archi-Epiſc. incerti auct.* cum notis SCHEFFERI pag. 186 ibi habetur: OLAVS *de Torſtuna ſeu Torſtunom Canonicus Trinitatis, fit Curatus in Vma, & poſt Monachus.* & paucis interjectis : *Quo facto Curato in Vma, & poſterius intrante ordinem fratrum minorum, ſucceſſit Dn. Tydemannus VLFF.* Hunc autem circa annum 1421. templo S. Trinitatis praefuiſſe ex PERINGSK. in *Mon. Vllerak.* p. 233. conſtat.

cujus campana ob Muſcovitarum & Fennonum inſultus in fluvio Vmenſi prope urbem demerſa creditur *t*). Verum cum nuſpiam rudera antiqui iſtius templi viſa ſint, veroſimilius putatur fuiſſe, ubi hodiernum habetur. Hoc ipſum non modo elegantior ſtructura, verum etjam plurima commendant ornamenta. Nam praeter Suggeſtum multis caelatum iconibus & tabulam altaris, undecim deauratis ſuperbientem imaginibus, etjam organon pneumaticum, quod magiſtri ſui commendat manum ibi habetur *u*). De aetate illius, ſi modo idem ſit, de quo in catalogo Paſtorum exſtat, tempore BOETII primi Lutherani Paſtoris anno 1535 exſtructum erit. Quatuor ornatos ex orichalco lychnuchos, in illorum, quos Muſcovita abſtulit, locum, celebres quidam mercatores Stockholmienſes originem ex paroecia Vmenſi trahentes, templo donarunt. Praeter clypeum KLERCKORVM, una cum gentilitio PLANTINORVM inſigni in pariete ſuſpenſum, alia monumenta ſepulcralia ſunt, quorum mentio infra habetur. Duae campanae exſtructum in coemeterio campanile ornant, quarum major tredecim pondo navalia, 14 minora & 5 libras continet *x*). Paſtorum Vmenſium

t) *Narrat. de Vrbe Vma.*

u) Ex hiſce ornamentis, & in ceteris, ornata templi Vmenſis facie, Max. Rev. D. D. GEORGIVS WALLIN ductus, tale de illo in ſuo itinerario tulit judicium: *I Vmeå Lands-Kyrcka är ett wackert orgwärk, och kan ingen ſkilja den Kyrckan från den bäſta Stads-Kyrcka.*

x) Hujus inſcriptio haec eſt. *Joel. 2. 15. Beſtält igenom Herr Befallningsm. Anders Perſon Tegman til Vmeå Sochn an.* 1661. Inſigne Paroeciae ab una, haec ab altera illius parte excipiunt nomina, *Erick Johansſon, Måns Olofsſon, Guten i Stockholm af Petter Elias Dant,* In margine *Pſ. 147, 12 13.*

Vmenſium agmen ducat Dn. OLAVS *de Torſtunom*, qui ibi circa annum 1420 viguit *y*). Poſt illum, ſerie magno hiatu interrupta, ex catalogo, qui in actis templi habetur, ſequuntur: 1. *Dn. Haquinus ſenior*, *Praepoſitus.* 2. *Dn. Haquinus junior.* 3. *Dn. Boetius*, *primus Lutheranus*: *hujus tempore* 1535. *conſtructum eſt organon pneum.* z). 4. *Dn. Jacobus.* 5. *Dn. Andreas*, *poſtea Epiſcopus.* *). 6. *Dn. Petrus Matthiae*, *Praepoſitus.* 7. *Dn. Petrus Jonae*, *Praepoſitus*, *moritur* 1579. *ſepultus eſt Stockh. in Riddarbolmen.* 8. *Dn Chriſtiernus*, *moritur* 1585. 9. *Dn. Ericus moritur* 1593. 10. *Mag. Petrus Olai*, *mor.* 1607. 11. *Mag. Joh. Blanck*, *mor.* 1612. *a*) 12. *Mag. Petrus Rudbeckius*, *obiit* 1619. 13. *Mag. Olaus Petri Niurenius*, *Mag. Petri Olai filius*, *Paſtor hujus eccleſiae deſignatus an.* 1619: *Praepos. v.* 1623. *pie vita exceſſit* 1645. *d.* 14. *Sept. b*) 14. *Mag. Olao Petri ſucceſſit*

y) Confr. PERINGSK. l. prox. cit. *z*) Primus Lutheranus audit, cum anno 1537, ipſa die Purificat. Mariae, prima in templo Vmenſi Miſſa, Svecano idiomate haberetur. Quemadmodum ex actis templi Skelleftenſis conſtar.

Hic ipſe BOETIVS originem ex antiqua BVREORVM familia ducens, Nepotem ex filio, nomine BOO WERNIKSSON, habuit, qui fuit Camerarius CAROLI IX. 1611. vid. JOH. THOM. BVREI. *Geneal. famil. BVR. Lit.* H. BOETII, uti fertur, lapis ſepulcr. in ipſo templi introitu jacet, cujus proinde inſcriptio omnino fere attrita, legi non potuit.

*) An hic ſit ANDREAS LAVRENTII, qui 1570. Paſt. Geval factus, poſtea Epiſcopus Wex. & tandem Archi-Epiſc. Vpſ. evaſit, (quemadmodum ERICVS SVENONIS Skelleftenſium Paſtor, ut acta templi teſtantur, A:o 1544 Epiſcopus Skarenſis conſtitutus eſt,) alii diſpiciant. cfr. SPEGELS *Kyrko-Hiſtoria II. del p.* 151. 380. & 304.

a) S. Theol. Prof. Acad. Vpſ. 1605. PERINGSK. *Mon. Vllerak.* p. 241.

b) Antea Rector Sch. Geval. filiam Arch. D. P. KENICII in matrimonio primum habuit. Filii illius PLANTINI vocabantur. vid. *Geneal. BVR.* lit. O. nec non PERINGSK. *Mon. Vllerak.* p. 180. Illius & patris monumentum haec ſibi inſcripta habet. *Mag. Petrus Ol. Geſtricius, Paſtor Vmenſis. Parentibus, ſibi, ſuisque poſuit NIVRENIVS. Mag. OL. PET. NIVRENIVS Medelpadus, Praepoſ. & Paſt. Vmenſis. Huſt. Maria Zachariae dotter. Gen. 3. Joh. 1. 12.*

ſrater ejus Mag. Ericus Petri Niurenius 1647. *mor.* 1661. 15. *Huic vero ſucceſſit Mag. Olai Petri filius, Mag. Ericus Olai Plantinus Paſt.* 1663. *mor.* 1688. *d.* 20. *Nov.* 16. *Illi ſucceſſit Sobrinus ejus Mag. Olaus Linerius* 1690. *mor Holmiae* 1691. *d.* 7. *Jun. c*) 17. *Mag. Joh. Hellſing. Paſt.* 1692. *obiit* 1693. *d.* 9. *Sept.* 18. *Mag. Matthias Bille paſt.* 1693. *d.* 16. *Oct. obiit d.* 4. *Dec.* 1710. 19. *Mag. Nicolaus Nic. Grubb, antea Prof. Gryph: Paſt. & Praepos. Vmenſis* 1712. 1724. *d.* 2. *Oct. mor. d*). 20. *Mag. Abrahamus Lidenius Veſtrogothus, Paſt. & Praepos.* 1726. *mor. d.* 4. *Junii* 1728 *e*). *Mag. Zacharias Plantin*, hodie Paſtor & Praepoſitus optime meritus, cui eandem adprecamur proſperitatem, quam ante illum quinque laudabiles e Plantiniana proſapia ejus majores, heic loci ſunt experti!

§. VII.

Non tantum per hos Paſtores optimos, heic qua partem natos, ſed etiam per alios ſuos alumnos & filios clariſſimos, eruditione, officiorū dignitate, Vma ſuas laudes in longum propagavit. Eſt inter illos alumnos b. m. D. PETRVS KENICIVS, Archi-Epiſcopus quondam Vpſalienſis, cujus haec

---

c) Primum Vpſaliae S. Theol. Prof. extraord. 1685, & inde concionator Legionis prim. ped. antequam Paſtor Vmenſ. evaſit. PERINGSK. *Mon. VII.* p. 251. *d*) Lapis ipſum tegens, extra templi Januam cum hac inſcriptione habetur. *Grafſten öfwer Probſten i Vmeå Mag. NILS GRVBB, född d.* 2. *Decemb.* 1681. *afled d.* 2. *Octob.* 1724. *Pſalm.* 31. 19. 21. *Tyſtne the falſke munnar, ſom tala emot etc. Tu förgiömer them hemliga när tig för hwars mans trug* &c. *e*) In Americam antea ad Lutherana adminiſtranda ſacra miſſus, inde redux, Paſtor, heic conſtituitur. Intra breve, quod huic eccleſiae praefuit tempus, ejus cura factum eſt, ut templum feneſtris auctum, ornatius evaderet. Non modo propter haec, ſed etjam propter pacificum cum omnibus vivendi ſtudium, & alias virtutes, adhuc in Vmenſium animis deſideratiſſimus reſidet.

praecipua fata: *Kenicio Olai f*) Birkarlo & *Anna Olai filia* parentibus in *Baggeboele*, paroeciae Vmenſis pago, anno 1555. primam aſpexit lucem. Domi, Gevaliae, Vpſaliae Studiis ſedulo invigilavit. Quare ab Archi-Epiſcopo Dn. LAVRENTIO GOTHO ad miniſterium V. D. vocatus eſt. Longum foret enumerare tanti viri merita, cum ea perfecto catalogo in concione ejus funeb. a B. Epiſc. Arol. D. JOH. RVDBECKIO 1636 habita, nec non in BAZII, *Invent. Eccleſ. Sveogoth.* & Reverendiſſ. Arch. H. SPEGELS *Kyrkio-Hiſt.* perſcripta ſint. Scripta, quibus inclaruit B. KENICIVS, non quidem multa typis evulgata exſtant; ea tamen, quae inveniuntur, magnam ſapiunt doctrinam, pariter ac pietatem *g*). Horum potiſſima apud SCHEFFERVM in *Svec. Lit. p.*57. enumerata habentur. B. hujus viri memoriam eodem, quo B. Arch. SPEGEL clauſit effato, nobis claudere liceat: *Stat ſine morte decus h*).

§. VIII.

f Sic BVREO in cit. Geneal. & PERINGSKIÖLDIO in *Mon. Vller.* pag. 179. D. P. KENICII pater audit, quamvis in conc. ejus funeb. appelletur *Könich Perſſon. Familiae BVREAE ortum; teſte MESSENIO Chron. Epiſc.* Cap. *VIII. p.* 86. *debet D. D. P. KENICIVS cum plurimis ex illius Sanguine protuberantibus familiis Nobilibus & Epiſcopalibus.* JOSEPH THVN in *vita Palmjk.* p. 122. *Celſum* proinde *BVREAE familiae Decus*, Epitaphium B. Arch. OLAI MARTINI in templ. Cath. Vpl. eum appellat.

g) H. SPEGELS *Kyrkio-Hiſt. II. del* p. 163.

h) Loco cit. Ejus Epitaphium ſic deſcriptum habetur: PETRVS KENICIVS *Bothnienſis. S. S. Theologiae Doctor, Archiepiſcopus Vpſalienſis & Pro-Cancellarius Academiae, Epiſcopus olim Scarenſis annis* 15, *huic dioeceſi praefuit annis* 27: *Carceres & multa gravia pertulit in perſecutione Liturgica, conſtans in fide permanſit ad finem, felicem vitae exitum ſortitus die* 3. *Feb. an.* 1636. *aetatis* 81:*mo. Vxor* MARGARETA, *filia* JOHANNIS GAMMAL, *Conſulis Gevalienſis,* 12. *Liberorum mater, cum marito vixit annos* 44. *obiitque an.* 1631. *aetat.* 61.

§. VIII.

Vidimus, quae fuerint infortunia urbis; ſed non minora erant paroeciae: Prae ceteris in illis locis, inſula *Holmoen* in *Kuerken* ſita, tanquam diverſorium Muſcovitis exſtitit. Nam praeterquam quod an. 1714 in Sept. primum ad illam appellentes, colonos illius rapuerint, ut ad urbem iter monſtrarent, etjam 1717 aeſtate rapinis & caede magnam in illa exercuerunt crudelitatem. Anno 1719 in Jan. congelatum mare Coſſacki ter trajicientes, aliquot pagorum colonis bona per vim extorſerunt. Haec quamvis gravia, iis tamen, quae ſequentibus annis 1720 & 1721 incolae hujus paroeciae paſſi ſunt, longe inferiora ſunt: tum enim Muſcovita longe lateque praedas agendo, ignem tectis omnibus obviis injecit. Sed ſingula perſequi non fert inſtituti ratio. Horum vero ſumma qui noſcere velit, adeat Ampliſſ. Archi-Praep. Lincop. Mag. AND. RHYZELII *Brontologiam* ubi pag. 117 & 119 ea inveniet.

§. IX.

Cum mentionem *Kuerken* ſupra fecerimus, (ſic mare intra *Waſam* & *Vma*, Muſcovitis toties compendioſum in Weſtro-Botniam iter praebens, appellatur,) pauca circa illud obſervare lubet. Memorata inſula *Holmoen* octo habitata colonis, multisque naturae bonis felix, mare hocce in duas divid it partes, quae *Oeſtra* & *Weſtra Kuerken* audiunt. Navigantibus periculoſum heic faciunt iter ſcopuli *Gaddarna* dicti, & ad meridiem inſulae lon-

ga ſerie proſtantes, multisque naufragiis famoſi. Hunc ſinus Botnici tractum B. RVDBECKIVS a tribus *Gorgonibus*, fretum hocce ſub 64 lat. gr. & 43 long. ceteris Amazonibus in Fennonia victis, trajicientibus, *Gorken* & *Quorken* appellatum vult *i*). Nobis tanti viri conjecturam magni facientibus, aliam, nec a veritate abhorrentem, adducere licet, nempe nomen illud *Kuerken* a Gothico vocabulo *Kuerkur Gretl.* c. 43. *fauces* & *gutturem* ſignificante, derivandum eſſe: nam non modo *fauces* in Latina, ſed etjam *ſwalg* in noſtra lingua, obſoleto nomine *Kuerkur*, translate de ejusmodi fretis, ubi aquae ventorum vi, nunc influendo, nunc iterum inter ſcopulos recurrendo, majori mole cient aeſtum, uſurpantur. Sic etjam nomen *Fiaer-Eggen*, inſulae, *Kuerken* & *Holmoen* ad ſeptentrionem claudentes, mere Gothicae eſt originis ex *fiaer fiaerri*, valde procul, & *Egguer* Isl. *Bun.* c. 7. h. e. *loca & rupes in maritimis ubi volucres ova pariunt*, conflatum. Adeo ut *Fiaer-Eggen* nihil aliud ſunt, quam remotiores & ultimae inſulae, in quibus aves ova ponunt: quorum etjam *Holmöenſes* magnam copiam in his atque aliis ab altera parte vicinis, verno tempore inveniunt.

SECTIO II.

De Paroecia Bygdenſi.

§. I.

i) *Atl*, Tom III. pag. 648.

§. I.

TRansmarinos olim in has oras primum veniſſe, aedificia ſtruxiſſe & nomen *Bygdeå* ab aedificando (*bygga*) paroeciae impoſuiſſe, adhuc in vulgi ore eſt *k*). Verum illos non fuiſſe Birkarlos, qui teſte BVREO *l*), temporibus R. MAGNI LADVLAOS primum in Weſtro-Botniam venere, aetas templi Bygdenſis annum 1169 referentis, commonſtrat. Hac enim templi aetate cum aera regiminis dicti Regis collata, conſtat noſtram paroeciam per unius ſeculi intervallum, plus minus, ante Birkarlorum adventum fuiſſe cultam. Vult Celeb. SCHEFFERVS, aliam in Weſtro-Botniam factam eſſe migrationem: cui expeditio ERICI S. in Finlandiam circa annum MCL anſam praebuit *m*). Sed originem paroeciae Bygdenſis inde repetere, etjam incertum eſt, cum probabile ſit, auſtraliora Weſtro-Botniae loca multo antea ſuos habuiſſe incolas. Nihilo minus huic paroeciae eadem poteſt eſſe denominationis ratio, cum alia magis proxima, non haberi poſſe, videatur. Paroecias, *Vma* verſus meridiem, ſeptentrionem vero, *Loefanger*, Noſtra ſibi proximas habet: Intra quas in longitudinem 4 $\frac{2}{3}$ mill. ſe extendit. Latitudo autem a mari ad occidentem in boream ſe inclinando, ubi cum Paroecia *Burtraesk* committitur, duo milliaria paullulum excedit. Septuaginta tria inte-

k) Sic etjam max. Rev. Dn. Doct. GEORGIO WALLIN in ſuo per W. B. itinere ab incolis relatum fuit.

l) SCHEFF. *Lapponia Cap. XII. p.* 151. 152. *m*) Lib. cit. c. *IV. p.* 52.

integra praedia & octoginta duo milites in illa numerantur. Inſigne in ſigillo ipſi turdus eſt; quam vero ob cauſſam nos plane fugit; idem tamen olim non habuiſſe ex MSS. PALMSKIöLDIANIS edocti ſumus, in quibus eccleſiae hujus ſigillum, duobus, uti videtur, fluviis notatum, invenitur. Duo nempe amnes hanc paroeciam interfluunt *Dalkarså* & *Rikallå*, quibus etiam tertius prope *Nyſaetra* addi poteſt. Alterum a *Dalekarlo* quodam, juxta illum, conſedente dictum volunt incolae *n*): alterum a *Richardo*, qui hunc fundum occupavit: is propter caedem, quam in monachum quendam commiſit, ita poenam luere juſſus eſt, ut Regi ſalmonum in amne piſcationem concederet. Naſſis hic capitur Salmo, ſed minus copioſe. Praeter lacus & ſtagna piſcibus non infoecunda, maritima piſcoſa ſunt, ut *Iwarsboda*, *Norum*, *Ratuvik*, *Gumbodaſierden*, *Hersangersſierden* *o*) &c. in quibus accolae, praeter Vmenſes, piſcaturam exercent. Sed dum prope mare verſamur, portus cujusdam nomine *Ratan*, mentio facienda eſt, quum in toto ſinu Botnico navibus recipiendis, aptior, iisque in tempeſtate conſervandis, tutior alius non detur. Verſus Septentrionem navigantibus, & *Kuerken* trans-

n) Sed forte potius hoc nomen tulit tali occaſione, qua tractus ſilvae cujusdam in paroecia Skelleſta, hodie *Dalkarlsliden* exinde dicitur, quod Dalekarli & Norlandi, junctis viribus, Norrigios, vel ut alii volunt, Ruſſos, ibi oppreſſerint.

o) Si conjecturis indulgere liceat, forte hic locus, ut plurimi alii ab HERSO FAHLONIS filio & vocabulo *angur* ſinum denotante, nomen habet, adeo ut *Herſanger*, idem ſit, ac *ſinus vel portus* HERSI.

tranſvectis, ſtatim ſeſe offerens, duos aditus, unnm a parte auſtrali, alterum a boreali: habet admodum opportunos. Qua nomen, originis Gothicae *Ratan* eſſe videtur, & a verbo *Rata* h. e. *peregrinari*, derivandum. *Havamal ſtroph* 5 & 10. *Vits er þaurf þeim er vijda ratar.* h. e. ex verſione VERELII: *Prudentia opus habet, qui peregre proficiſcitur* & Stroph. 19. *Vitur er ſa eirn er vijda ratar ok beſur um ſalld ſared.* h. e. *Hic ſolus eſt prudens, qui late peregrinatus eſt, & multas terras pervagatus eſt.*

§. II.

Ad antiquitatem hujus loci confirmandam, ſunt, qui referunt lapidem, vel potius rupem Bygdenſem, vulgo *Bygdeåſten*, a templo Bygdenſi meridiem verſus, non procul diſtantem. Sita eſt rupes in ſinu maris & parva admodum inſula, ejusque accuratam & dimenſionem & deſcriptionem nobis reliquit Dn. NIC. BRENHOLM, Geometra per W-Botniam ord. parentis loco colendus. In rupis iſtius ſummo vertice aliquot characteres exſculpti cernuntur, quos, quamvis rudes, nullius ferme linguae literarum, aut alius cujusdam rei nunc referant ſpeciem, curioſorum ſiſteremus oculis; niſi tres diſcrepantes haberemus delineationes, quarum nulli fidem habemus. Harum antiquiſſima in relatione quadam ad Com. DAHLBERGIVM expreſſa *p*), in multis cum illa conſentit, quae Max. Rev.

p) *Extract einer Relation aus Vmå, dat. 19. Aug. 1695.*
In vorigen zeiten wie die Ruſſen bemüket geweſen dieſes Lands zu

Rev. Dn. D. G. WALLIN a Bygdenſium Paſtore b. Dn. JAC. BVRMANNO oblata fuit. Ab accolis hujus loci accepimus, Muſcovitas has oras olim invaſiſſe & ad hanc rupem limites ſuos fixos voluiſſe, atque dum monumentum in illa exſculpendo occuparentur, pulſatione tympanorum BALTHASARIS in *Baeck* adventantis, perterrefactos, inceptum opus reliquiſſe. Hiſce quamvis etiam talia addantur, quae fabulas redolere videntur; attamen aliquid fuiſſe quod occaſionem huic narrationi dederit, nulli dubitamus. Nam quod ad BALTHASAREM BAECK attinet, ipſum temporibus Reg. CAROLI IX. Weſtro-Botniam tenuiſſe conſtat q), &, ut dicitur, in pago *Baeck* ⅛ mill. a templo Bygdenſi ſeptentrionem verſus ſito, habitaſſe. Eo tamen tempore nusquam in hiſtoriis legitur, Muſcovitas tantos feciſſe progreſſus, ut W-Botniae aliquam partem

erobern, ſo ſollen die, wie man ſaget, 5 meilen von der ſtadt Vbma nordwerts in dem Kirchſpiel Bygdeå ein viertel meil vom Lande in der ſee auff einen großen Stein dieſe figur eingehauen haben, welches noch jetzo alda ein wenig zu ſehen iſt, und wie ſie allda ihr volch am Lande ſetzen wollen, haben Sie durch ſtarcken gegenwehr ihre erſte unterlage gelitten. Dermaſſen daß Sie ſich wieder retiriren müſſen, von wannen Sie ſich dan nacher Torne wieder hin begeben, und auf einer Inſul



Saiſſakara genant, ſo 2 meil von genandter Stadt in der See lieget, ihre vorwache in 700. mann beſtehend, geſtellet; wie aber die Schweden herbej kommen das Landt zu ſecundiren, haben Sie den feinde nicht allein bis dahin verfolget, dieſen Inſul umbringet und die vorwache erſchlagen, beſondern auch den feindt gezwungen daß er ſich unverrichteter Sachen von dannen wieder retiriren müſſen. Harum Literarum nos participes fecit Nobiliſſimus Dn. GVSTAVVS BENZELSTIERNA, ad Archivum Cancelariae Actuarius Laudatiſſimus.

q) PERINGSK, *mon. Vpl. l. I c. I. p. 10.*

partem ſibi vindicaverint, ſed tantum *Cajaniam* & alia Finlandiae in confinio loca infeſtaſſe *r*). Sed ad Sec. XV. recurrendo, circa annum 1490 ex querulis Kimienſium literis apud HADORPHIVM *s*) invenimus, Muſcovitas promontorium in paroecia Loefangerenſi nomine *Biuroeklubben*, circiter quinque milliaria hinc, boream verſus, limitem ſibi arrogaſſe. Quibus remporibus, quum perquam frequentes fuerint ejusmodi Muſcovitarum iniquae poſtulationes, vero ſimile videtur, illos ipſos monumentum quoddam, quousque limites ſuos extendi volebant, reliquiſſe.

§. III.

Templnm Bygdenſe editiori loco e rudi lapide aedificatum, & a mari non procul remotum, longitudinem 55. & latitudinem 21. ulnarum habet: aetas ab anno 1169. repetenda eſt: ex qua Rever. Epiſc. BILBERGIVS non tantum judicat, illud omnium Norlandiae templorum eſſe antiquiſſimum, ſed illius fundamenta ſub imperio Reg. ERICI Sancti jacta eſſe *ſſ*). Cui adſertioni adverſari non videtur caedes dicti Regis Vpſaliae A.C. MCLX aut MCLXI facta, quum ſub CAROLO VII Gothorum & poſt ERICVM Svecorum etjam Rege, religio Chriſtiana magna ceperit incrementa *t*). De ſculptili quodam a Bygdenſibus quondam divino honore

r) Conf. MESSENII *Rjm-Krönika* p. 100. 104. & VIDEKINDI *Sw. och Ryſka Krigs-Hiſtoria* &c. p. 387.

s) *Collect. p.* 343.

ſſ) *De Sole inoccid. Cap. VI. p.* 84. 86.

t) *Rev. Arch.* HQ. SPEGELS. *Kyrkio-Hiſt. I.del* p. 15. ſq.

honore culto, & in templo hocce aſſervato, loquatur laudatus BILBERGIVS: *Viſebatur & porro ibi ſculptile religioſi cujusdam, quod dimidio & amplius illinc milliari in ſilva collocatum erat, ubi olim longius ab eccleſia remoti, diebus feſtis ſupplicaturi conveniſſe dicebantur. Poſt feliciſſima vero repurgatae ab haereſibus Pontificiorum religionis tempora; ſicut in patria noſtra cultus ille ceſſavit: ita in ejus rei deteſtandam memoriam idem ſculptile in loco aliquo templi eſt repoſitum u*). Ornatum templo inter alia conciliant organon pneumaticum minoris ſtructurae, a Paſtore hujus eccleſiae B. Dn. JAC. BVRMAN templo donatum, nec non monumentum Dn. von WALTER & GRVBBORVM inſigne, quae in choro occurrunt. In Campaniſterio ſeorſum aedificato, duae habentur campanae, nulla inſcriptione notatae.

Huic templo Sacellum Nyſaetrenſe duobus hinc ſeptentrionem verſus, milliaribus, diſtans, ſubjacet. Ejusque exſtruendi copiam Nyſaetrenſes tempore Archi-Epiſcopi L. PAVLINI GOTHI ideo impetraſſe dicuntur, ut aetate provecti, ſoepius ſacris intereſſe poſſent, nec longiori itinere mortuos ad Bygdenſe ducere, illis moleſtum eſſet. In ſuſtentationem Sacellani fundum eos emiſſe & pro immunitate illius a cenſu regio 1650 d. 22 Jun. Regi ſupplicaſſe conſtat *x*). Aliud templum etiam ex ligno, in priſtini locum ante viginti annos, & quod excurrit, exſtructum eſt, quod intus pictura nuper conde-

u) Loc. Sup. cit. *x*) Ex MSS. PALMSKIöLD.

condecoratum, ſuo radiat nitore. Paſtores eccleſiae Bygdenſis, quorum nomina haberi potuerunt, ſunt hi: *Dn. Nicolaus* An. 1593 actis concilii Vpſal. cum Sacellano *Joh. Torberni* ſubſcripſit. 2. *Dn. Olaus Nicolai Bothn.* 1635. 3. *Dn. Nicolaus Turdin.* 4. *Dn. Breninſulanus.* 5. *Dn. Laurentius Burman Præpoſitus.* 6. *Dn. Jac. Burman Laur. fil. Paſt.* 1686. *mor.* 1726. 7. *Mag. Joh. Ielin*, Paſtor hodie laudatiſſimus.

SECTIO III.

De Paroecia Loefangerenſi.

§. I.

DEnominationem hujus paroeciae, a vocabulis Gothicis *Lauf*, *folium* & *Angur*, *ſinum* ſignificantibus *y*), deducendum eſſe putamus, quod ſinubus multa fronde ſeptis, claudatur. Illam appellationis rationem, paroeciae ſigillum frondoſam gerens arborem, confirmare videtur. Iuxta mare ſe extendit, & prope pagos *Waeſtanå* ad meridiem & *Daglöſten* ad ſeptentrionem, certis limitibus a paroeciis *Bygda* & *Skellefta* diſtincta eſt. Qua longitudinem duo & $\frac{3}{8}$ mill. continet; latitudo a mari occidentem verſus, 2 & quod excedit, milliaria facit: ibi excipit paroecia *Burtraesk:* cum qua, Noſtra 65 $\frac{9}{32}$ port. viril. continens, centum dat milites. Melior hujus paroeciae ſitus facit, ut hac proficiſcentes via, non horridis teſquis, nec praeru-

 ptis

y) OL: S. c. 42. EDDA *in Appellationibus Sinuum.*

ptis praecipitiis turbentur, quin potius mira oculorum voluptate, tam ex pagorum ad viam publicam frequentia, quam agrorum & paſcuorum diverſa comparatione afficiantur. Innumeris propemodum lacubus ſcatet, iisque non minimis, quos cum longum foret recenſere, unum ſaltem *Wallſtraesket* nominamus, quum in illo *Sendacius* (*Göös*) rarior in W-Botnia piſcis, capiatur. Portus piſcatorii celebriores ſunt: *Blackfierden*, *Biuroen & Grundfierden*: hi piſcatoribus aeſtate adeo frequentantur, ut duo priores ſua etjam habeant ſacella. Aptiores vero, ad recipienda navigia, portus, ſunt, *Kallwiken*, & *Biuröhamnen*: ille in medio fere paroeciae, hic in boreali ejus extremitate ſitus, ſtationem navigantibus ſecuram exhibet pone eximiae magnitudinis in mare excurrens promontorium *Biuröklubben.* Hoc illud ipſum eſt, quod Muſcovitae limitem eſſe falſo commenti ſunt, ut totum W-Botniae ad ſeptentrionem tractum ſibi arrogarent, quemadmodum ex Kimienſium literis ſupra memoratis liquet, quarum particula infra videbitur z).

§. III.

z) *Extract af et bref fra Kim Ja och Liminghe* &c. *dat. Kim mifaſto tjd 1490. När the oſſ ſwa pijna, tha ſeije the, ath Landhet ok watnet hör töm til, ſom wij bom pa, oc wilje the betwinghe oſſ ath wij ſkolom göre töm en arlighen ſkatt try hwit ſkin af hwar man i Landhet är, oc halfdelen af Kim aa, oc alle the Laxaar i Landhit äre, in til en aa, ſom heter Pyhejoki, liggiandes i Sala Sokn, ther utan fore ligger en ſten ſom heter hanakiſſwi then kalla the theres Raa oc ſwa thäden twärt öwer in pa weſterſidhen til Biwreklubbe Ligger i en Sokn ſom heter Skällata: *), ſwa thädan norr igen in til Tornö oc Kim, oc öwerſt upp i Kim aa, ther ligger eth näs Ruanim kallas thär är 50 miler imellan Hanakiwi oc*

§. II.

Non procul a via publica depreſſiori quidem, ſed grato admodum loco, templum Loefangerenſe ſitum eſt; jucundiſſimis enim agris ac pratis circumdatum, duobus clauditur lacubus, *Giaerdſierden*, & *Aſwaſierden*, qui infra templum alveo quodam juncti, in mare per alium *Aſwaſundet* dictum decurrunt. Sacratae aedis ex griſeo exſtructae aetas quamvis haberi non poſſit, aliam tamen ante hanc ex ligno exſtitiſſe, auctor nobis eſt JOHANNES TH. BVREVS *a*), In qua forte HERSVS FAHLONIS de *Byreſtad* filius ſepultus eſt, quum, BVREO etjam teſte, poſt caedem in ipſum a *Caſiis* (*Kåſar*) *b*) commiſſam, in *Loefånger* a Dn. *Ragwaldo* humatus eſſe perhibeatur *c*). Hodierno templo, cujus longitudo 53 uln. & latitudo 19. cum dimidio habentur, patronam olim

 fuiſſe

Ruanim oc 60 milar mellan Biureklubb och förnämdhe Ruanim, thet egne the ſik til. &c. *) Per errorem dicitur promontorium *Biuroklubben* in paroecia Skelleſtenſi proſtare, niſi antiquitus alia limitum ratio obtinuerit.

Promontorium hocce ad quod Muſcovitae fixum quondam voluere limitem, felici prorſus & nobis fauſto omine, terminus illis evaſit ultra quem longius progredi non poterant, quum 1721 d. Jun. hoſtili animo heic ſubſiſtentes, furoribus Bellonae per pacem ceſſantibus, a ſuis revocarentur: poſtquam *Biuroen* proximum hinc pagum prius in cineres redegiſſent; quod quoque fatum alias totam Paroeciam manſiſſet.

a) In Libro Geneal. Fam. Bur. *b*) In paroecia Loefanger adhuc extat pagus *Kåſboele*, qui num *Caſiis* ſupra nominatis nomen dederit, vel ab illis ſic dictus fuerit, incertum eſt; Vnus vero e Fahlonica proſapia BERO vel BIöRN, qui JOH. BVREO, nunc FAHLONIS junioris filius, nunc ipſius patruelis audit, Kâſe a ſtabulis ſuis *Kasboele* prope *Risboele* dictus perhibetur vid. *Lib. Gen. Fam Bur.*

c) Cit. Lib. Gen. Bur. & ex illo JOSEPH. THVN in vita PALMSKIöLDII pag. 109.

fuiſſe S. ANNAM non tantum dicitur, ſed etjam veroſimile videtur, quum ipſius imago primum & medium in tabula altaris occupet locum. Duo praecipua papiſticae religionis remanent ſigna, Thuribulum ex orichalco in Sacrario aſſervatum, atque ſculptile religioſi cujusdam viri, de quo idem ac de ſculptili Bygdenſi narratur, exſtitiſſe illud uno ferme a templo milliari & divino honore ab illis, quibus longius ad templum fuit iter, cultum eſſe. Campanile non vulgari modo, ſed inſtar columnae quadratae aedificatum, duas aetate conſpicuas continet campanas *d*). De fundo Paſtoris haec habentur, quod an. 1551 conceſſus fuerit Praefecto *Jöns Håkanſſon*, qui eapropter eccleſiae Loefangerenſi de Sacellano proſpiceret *e*). Paſtores quorum nomina ad nos pervenere, fuerunt: 1. *Dn. Ragwaldus* ſec. XIII, uti ex Geneal. Bur. colligi poſſe videtur, 2. *Dn. Ericus Olai Helſingus* 1558 *f*). 3. *Dn. Petrus Oeſthonis Praepos.* cum Sacellano *Erico Andreae*

---

d) Harum major, cujus ad limbum diameter $\frac{3}{4}$ uln. Supra integram cum aequali altitudine habetur, hanc gerit inſcriptionem: *Bartel Larſen och hans Son Jacob Bartelſen. Lodt denne Klocke Stobe hus Matthias Benning udi Lybeck A:o 1595.*

Minor autem, cujus diameter & altitudo, ulnae Spatio abſolvuntur, magnam praefert antiquitatem, quum inſcriptio illius, literis adeo barbaris conſtet, ut antiquiori Literaturae aſſuetis, fruſtra ſit oblata.

e) Quemadmodum reſcriptum GVSTAVI I. d. 20. Apr. 1551. datum docet. Annui etjam ex hac paroecia, nec non Bygda & Vma proventus, Archi-Epiſc. JACOBO VLPHONIS A:o 1482. conceſſi fuere, vid. *Skriftelige Bewjs til* HQ. SPEGELS *Kyrckio-Hiſt.* p. 66.

f) De hoc ipſo Paſtore Hom. Brentii in temp. ſeq. habent: *Hoc Sacrum volumen S. Eccleſiae Löffanger dono Teſtamentario reliquit* D. *Ericus Olai Helſingus ejusd. Eccleſiae Paſtor, qui hic obiit A:o D. 58 die* 13. *Decemb. cujus animae miſereatur Dominus Chriſtus Jeſus amen!*

Andreae concilio Vpſ. ſubſcripſit. 4. *Dn. Andreas*, 5. *Dn. Chriſtophorus Olai Geſtricius* obiit 1637. 6. *Dn. Petrus Zach. Steccenius* mor. 1694 anno aetatis 94. 7. *Dn. Olaus Salin*. 8. *Dn. Nicolaus Eurenius* 1703. *g*). 9. *Dn. Elias Ask Paſt.* 1715. obiit 1722. 10. *Mag. Zacharias Plantin* Paſt. 1723 & 1730 Paſt. & Praep. in *Vma*. Ejus in renovando templo Loefangerenſi multa elucent merita. 11. *Mag. Matthias Dahling* 1730. hodie Paſtor omnibus longe dilectiſſimus.

§. III.

Quod ad linguam attinet, coronidis loco obſervamus, trium paroeciarum de quibus ſcripſimus, unamquamque ſuam ſervare dialectum, & idiotiſmos; quibus conferendis heic immorari eo minus e re eſſe duxerim, cum majorem forte gratiam inirem, ſi plurima illa linguae Gothicae rudera, quae in vulgari ſermone ibi obſervare licet, monſtravero. Et quum Loefangerenſes vocum antiquarum omnium tenaciſſimi & linguae ſuae obſervantiſſimi ſint, ſeveriori cēſura ſuos excipiūt, apud quos aliquod novitatis in ſermone ſtudium deprehendunt. Proinde breve, quod ſiſtimus vocabularium hucusque reſervavimus.

A in, *ſupra*. } *Jon. Rug. Monoſ. Isl.*
A amnis. }
Adrer alii. Cod. Orm p. 78.
Aker ager. Vlph.
Ala alere. Hickeſ. Theſ. L. S.
Amaektig debilis.
Anna - huort alterutrum Ol. S.
Ar remus. Ol. Tr. S. c. 49.
Audkendr qui facile agnoſcitur
Audmykia multum.

g) Hujus liberalitate Lychnuchus majoris atque elegantioris formae templo Loefangerenſi donatus. ipſi cum aliquot aliis ornatum addit.

Audruviis aliter. Herv. c. 10.
Auka augere. Vıking. S. p. 50.
Auſtr oriens. Vilk. S. p. 21.
Auſtur ſentina. Gretl. c. 15.
Ba ambo. Vlph.
Bak dorſum. Ol. S. 72. hinc *rjda barbaka*, h. e. *equitare ſine ephippio.*
Bana drycker potio lethalis. Ol.
Barſt ad accidit. Herv. S. c. 2.
Bas locus in ſtabulo pro quovis pecore. Gretl. c. 23.
Bat navicula.
*Bein os. Ol. Tr. S.*c. 45.
Beit paſcua. Rugm.
Blaka tremere. Damaſc. p. 160.
Blaſa buccinare, ſtare. Herv. S.
Blidlatur. affabilis Ol. S. c. 16.
Bradur, citus Herv. S. c. 5.
Braddaudr cita morte abreptus. Gaut. S. p. 65.
Bragd dolus. inde forte W-B. *Fisk-Bragd retia piſcatoria.*
Braid latus. Vlph.
Byrja incipere. Herv. S. c. 5
Dadlaus torpens Torſt. V. S c. 14.
Dagſetr crepuſculum. Herraud.
Dyſia tumulis condere. Gretl.
Eiga poſſeſſio. Ol. S. c. 185.
Ein, eit, unus - a - um.
Ecke aegritudo animi, Cod. Orm. 52. W-B. inde verbum *Ecka, aegre ferre, poenitere.*
Faa accipere.
Faeit, pinguis Ol. S. c. 208.
Faengta, cura circumſpicere.
Fagna hilariter excipere. Vlph.
Fanytt parum utile. Sp. R. c. 36.
Fauskur lignum aridum. Hickeſii Thes. ling. Sept.
Feiginn hilaris. Ol. S. c. 59.
Fiuka vento ferri. Hickeſ.
Foer fortis Hickes. Th.
Gaſa curſitare, effuſe latari.
Gaud homo nauci. Rugm.
Gegna prodeſſe. W Botn. eſt hoſpitaliter aliquem excipere.
Geina contraire. Voluſp.
Geipa effutire. Isl. S. p. 241.
Geit capra. Ol. Tr. S. c. 65.
Gieta cuſtodire. Ol. S. c. 17. & 21.
Glens jocus, irriſio. Cod. Orm.
Gnadd murmur.
Gol ventus frigidior. Rugm.
Gör maturus. Helſ. ll. Manb. 21 *ſt.*
Grandwaeri circumſpectio. Th. S.
Graata plorare. Hickes.
Grenia ringi. Herv. S. c. 5.
Gruſa. Isl. S. pronus jacere.
Ha, Haband. Scalmus & ſcalmorum vincula. Vilk. S p. 119.
Hael clavus ligneus. Osgl. B. B.
Haersker ſaevus. Troj. S. p. 36.
Hagfelldr gratus. Ol. S. c. 185.
Haim domus Froſt. c. 19.
Halſa ſeglen vela plena expandere Epit. Ol. S. c. 65.
Har crinis.

Has

Digitized by Google

Has raucus. Rugm.
Haufud caput. Ol. S. c. 99.
Hauſt autumnus.
Heid ſylva. Gretl. c. 29.
Hialp auxilium.
Hof modus, ratio. Thorſt. V. S.
Hoſlaus Sp. Reg c. 53.
Huka incurvare ſe. Isl. S. p. 59.
Huſa aedificare. Ol. S. c. 45
Jarma balare Gretl. c. 58. *W-B. eſt queri.*
Ida vortex aquae. Gretl. c. 61.
Ill Ille malus -a - um Hirdsk.
Ilska pravitas. Ol. Tr. c. 17.
Kal Crambe. Ol. S.
Kall vetulus. Rugm.
Kelling vetula. Sturl. S. p. 26.
Kienneſpeki agnoſcendi promtitudo. Thorſt. V. S. c. 22. inde W-*B. adj. Kienneſpak.*
Klora unguibus laedere. Herr. S. p. 63. W-B. eſt *vitam ducere.*
Kot kota, tugurium. Ol. S. 193.
Kyla ſacus. Edda
Kyrſwelig parvus. Herr. S. c. 17
Kyrckia ſtrangulare. Gretl. c. 15.
Langraekinn diu iratus. Vilk.
Law ſolutus.
Leikar ludi. Gautr. S. c. 32.
Giora lejk illudere. Viking. S.
Lygd mendacium. Ol. Tr. S. c. 61
Maeinfoert. iter difficile. Ol. S.
Mattlaus expers virium VS.
Mig urina Mjga mejere. Hickes.
Minka imminuere. Ol. S. c. 96.
Moka purgare. Ol. Tr. c. 18.
Na aſſequi. Ol. S. c. 150.
Naud adverſitas Rugm.
Naut Bos.
Naudſtaddr in anguſt. conſtitut.
Nema carpere. Ol. S. c. 122. alias *diſcere* ut in Gaut. S. paſſim. Unde forte W. B. *Nemd docilis.*
Nor fretum anguſtum. Helsll.
Oaran annonae caritas. Epit. Ol.
Oknytter ſcelera. Gloſſ. Ol. Isl. WB. *uſurpatur de ſpectris.*
Omegn, deliquium animi. Gretl.
Onaudigr coactus. Epit. Ol. S.
Ornaz reviviſcere ex deliquio.
Ovaeginn qui nihil penſi habet, quid agat. Troj. S. p. 43.
Paita induſium. Vlph.
Radlaus, conſilii inops. Herr. S.
Reinlatur, mundus. Hirdsk. c. 19
Reip reſtis. Rugm.
Renna miolk purgare lac. Stu. S.
Savas, hydria
Senn ſimul. Rugm.
Sime vinculum funiculus Landsl.
Skarplettr K. S. p. 175. W. B. *eſt macer.*
Skeid ſpatium loci & temp. Ol.
Skeika devaricare. Ol. S. 141.
Skratte Daemon. Troj. S. p. 17.
Spalejkr Troj S. p. 8. W. B. *Spaliken, leve eſt juramentum*

Stutr

Stutr brevis. Ol. S. c. 76.
Sveit ſanguis. Vilk. S. p. 56.
Syltur fames. Ol. c. 13.
Syria aqua nive conſtipata. H.S.
Syta lugere plangere. Troj. S. p. 21. W.B. eſt curam agere, unde Sytning cura Hels. l. jordb.
Tauta ejulare. Kong. S. p. 224
Traudr Tardus. Ol. S. c. 34.
þora audere. Havam.
þveingur, ligamina calceamenti
þyngsl. gravamen. Gautr. c. 1.
Vei vari han. Ol. Tr. S. c. 56.
Vika milliare maritimum. Osgl.
Von ſpes. Ol. S. 34.
Vorn noſter. Gautr. S. p. 9.
Vtsker inſulae remotiores.
Yfer ſupra Ol. c. 61.

Hujusmodi vocabulorum ſexcenta alia adducere poſſem, ſi opus eſſet, & mihi tempus, auctoritatem illis ex veterum hiſtoriis conciliandi, ſuppeteret; verum quum ex allatis, de priſca harum paroeciarum cultura ac lingua facile judicari poſſit, nobis proinde heic ſit FINIS.

NB. Quae p. 28. in notis ſub lit. *s*) occurrunt, deſcripſimus ex collectaneis alius cujusdam; ſed poſtmodum copia ipſius Libri nobis facta, deprehendimus ea, quae lin. 2. & 3. habentur, deſumta eſſe ex indice cit. lib. & quae ſequuntur, in citata. pag. exſtare. Si quae alia irrepſerint errata, ut B. L. ipſe corrigat, perofficioſe rogamus.

THESES MISCELLANEAE.

TH. I. Datur cognitio Numinis natura nobis inſita.

II. Ratio Principii vicem in Theologia non ſuſtinet.

III. Non omnis cognitio fit per ſenſus.

IV. Non omnis praejudiciorum cauſſa voluntati unice, ſed etjam intellectui ſimul, eſt adſcribenda.

V. Non datur aliquod jus Gentium juri Naturae contradiſtinctum.

VI. Non omnia cadunt ſub demonſtrationem.

S. D. G.